ſuæ activitate ſeſe illis applicabit objectis, quæ ſummum illis afferent dolorem.

Rationes quibus probatur Dei providentia, qua pœnarum æternitatem reprobis præparavit.

Ad rationem noſtram evincendam, omneſque illius dubitationes de æternis damnatorum ſuppliciis auferendam, ſatis eſſet dicere hunc eſſe articulum fidei, atque ita juſſiſſe Deum; cujus voluntas ſumma nobis ratio eſſe debet. Ille noſter Dominus eſt; ipſe jus habet in noſtram æternitatem æque ac in tempus noſtrum, ut de utroque ad majorem nominis ſui gloriam diſponere poſſit: *Lex non diſputat, ſed præcipit*, neque eorum, quæ præcipit, rationem præbere tenetur. Attamen cum mens noſtra ægre hanc Dei ſeveritatem ferat, qua ſuppliciorum æternitate punit peccatum, momenti unius ſpatio patratum, nonnullas afferemus rationes, ex quibus patet, quam æquum fuerit Deum hoc pacto diſponere.

Ratio prima.

Prima ratio huic innititur principio. Cum Deus leges irrogare vellet ad hominum mores regendos, neceſſe erat, ut pœnas proponeret, quæ eorum libertatem in officio contineret, eoſque a crimine deterreret. At nullæ erant pœnæ, quæ ſatis eſſent hominum libertati compeſcendæ, ac prohibendo, ne latæ leges infringerentur, niſi æternæ fuiſſent. Et ſane quam parum afficimur æternitate infinitæ beatitudinis, quam nobis Deus pollicetur! Cogitatio divinæ bonitatis, & beneficiorum ejus non magnam obtinet vim in plerorumque ſpiritum, quia illius Crux, paſſiones, & mors non ſatis validæ ſunt ad cor hominum trahendum, eoſque omnino vicendos. Reliquus igitur dumtaxat eſt æterni ſupplicii metus; nam ſicut immortalem habent animam, & aliud quodvis bonum præter ęternam felicitatem illos beatos efficere nequit, ita quodvis ſupplicium minime par infinitæ eorum durationi nonniſi leviter illos affeciſſet, neque ſceleribus eorum frænum injicere potuiſſet.

Ratio ſecunda deſumpta ex natura peccati deſtruentis gratiam.

Ratio altera deſumpta eſt ex Divo Thoma docente, quodvis malum ſuapte natura irreparabile, malum eſſe æternum; at malum peccatoris in peccato mortui eſt irreparabile, mirum igitur eſſe non debet, ſi æternum eſt: Magnum autem peccatoris malum eſt ſaparatio a Deo; eſt deſtructio gratiæ ſanctificantis, quę erat vitæ ejuſdem ſupernaturalis principium. Peccator ultro receſſit a Deo, inordinato erga ſeipſum amore æternæ beatitudini abrenunciavit; volens, & ſciens nequiter deſtruxit gratiam ſanctificantem, quæ omnium ſupernaturalium bonorum radix erat, atque principium. Nunc poſt mortem eo in ſtatu reperitur, in quo ad Deum nequit ultra reverti; cum ſit extra viam, ut loquuntur ſcholę, veræ converſionis capax non eſt. Exempli gratia quicumque ultro ſibi mortem conſciſcit, oſtendit, ſe velle in omnem æternitatem omnibus vitæ hujus bonis carere, ac de ſe uno tantum conqueri poteſt: *Factus eſt malo dignus æterno, qui peremit in ſe bonum, quod eſſe poſſet æternum*, Sanctus Auguſtinus ait.

Ratio tertia, ex peccati gravitate lædentis Deum, qui infinitus eſt.

Juſtitiæ Divinæ interfuit pœnas peccati nequitiæ pares pręſcribere, & congruas dignitati illius, qui per contemptum læſus eſt; ut ablata eidem gloria reparetur. At peccatoris nequitia peccatum patravit in ſeipſo infinitum; opus eſt igitur, pœnam eſſe infinitam. Cum autem homo per ſe finitus ſit, pati nequit eos cruciatus, quorum vis, atque acerbitas ſit infinita; opus ergo eſt, ipſum pati tormenta in ſua duratione infinita, & æternitatis extenſione ſuppleri intenſioni cruciatuum. Contempſit ille amorem Dei ſui, opus eſt, ipſum æternum pati odium ejuſdem. Ita cum pro unius peccati momento præcipit Deus ſuppliciorum ęternitatem, eadem utitur menſura, qua cum illo uſus eſt peccator. Quemadmodum enim peccator Deum menſus eſt momento voluptatis, ita Deus hominem pœnarum æternitate metitur.

Ratio quarta deſumpta ex peccatoris voluntate, quæ quodammodo eſt æterna.

Homo in peccato moriens, peccatum illud in ęternum committere velle cenſetur, duobus modis. Primum, quia in peccati voluptate ęternam habuit voluntatem; optavit in ęternum vitam producere, ut ęternum in peccato ſuo poſſet volutari; ita opus eſt, ut hęc voluntatis ęternitas pari ſuppliciorum ęternitate puniatur: *Ut quia æternam voluit habere peccati perfruitionem, æternam vindictæ inveniat ſeveritatem*. (*Aug. Epiſt. 49. ad Deog.*) Secundo, quia qui in peccato moritur, quin illud per pœnitentiam expiaverit, diſpoſitionem habet habitualem, & permanentem in æternum in peccato ſuo perſiſtendi, ſi æternum viveret: *qui enim impœnitens moritur, ſi ſemper viveret, ſemper peccaret*. Si moritur, quin egerit pœnitentiam, habet voluntatem hanc interpretativam, ac tacitam ęternum in peccato ſuo permanendi, & cum hac diſpoſitione ad Dei tribunal accedit, unde Sanctus Gregorius concludit, Divinæ interfuiſſe juſtitię, ut qui nullum peccato ſuo finem voluit ſtatuere, nullum ſupplicii ſui finem inveniat. (*Greg. 4. Dial. c. 44.*)

Ratio quinta ex legibus ſumpta, quæ reum capite plectentes criminis ejuſdem diuturnitatem non ſpectant.

Communis eſt omnium populorum ſententia, Principes, quibus ſupremum jus eſt in ſubditos ſuos, ferrę poſſe leges bono principatus ſui convenientes, ac ſimul pœnas ſtatuere, quibus fractores earum coerceantur. In hoc autem ordine politico pœna minime aptatur ſceleris, quo lex infringitur, diuturnitati, ſed pernicioſis effectibus, & damnis, quę ex legis perfractione poſſunt oriri. Laqueo ſuſpenditur fur pro furto, quod celeri manuum motu factum eſt; & homicida interficitur propter cędem ictu oculi illatam. Attamen mors quędam eſt ſpecies ęternitatis; natura enim nullum habet remedium; & judices extremo ſupplicio damnantes, non cogitant utrum damnatus aliquando ſit reſuſcitaturus. Hinc patet, juſtitiam humanam ſibi vendicare poteſtatem puniendi privatos ęterna pœna pro reipublicę otio, & tranquillitate. Cur igitur Deus, qui per eſſentię ſuę neceſſitatem, omniaque jura, quę excogitari poſſunt, ſupremus eſt omnium hominum Imperator, non poſſit leges ferre; atque ęternas infligere pœnas, ut ſubditos ſuos ad earum obſervantiam impellat? Hęc eſt Sancti Auguſtini argumentatio.

Sexta ratio deſumpta ex jure, quo omnes tueri ſe poſſunt adverſus opprimentes.

Nihil in jure naturali probatius eſt, quam juſta defenſio ad vim injuſti aggreſſoris propulſandam. Licet abyſſos ſtatuerem inter me, & inimicum meum, prohibiturus, ne ille mihi officeret, ac damnum inferret, quis inſimulare me poſſet? pręſertim vero ſi illum admonerem, ne me perſequi auderet, & ille mihi vim illaturus non poſſet accedere, quin præceps in abyſſos haſce decideret: poſt hęc ſi rabie actus inimicus interiret, ac in pręceps laberetur, quid mirum tibi videretur ejuſne furor, atque temeritas, an mea juſta defenſio? Verum ſi mortalis homo hoc facere poteſt, ut ſe ipſum ab injuria tueatur, quid non liceat Deo hominum contumelias propulſaturo?

Ratio ſeptima deſumpta ex iis, quæ Dei Filius paſſus eſt, ut nos ab inferni pœnis eriperet.

At cur alibi ęternitatis hujus probationes inquirimus? Ipſe Dei Filius qui hanc nobis minitatur potiſſimam probationem ſuppeditat. Ille factus eſt homo, ut peccata noſtra deleret; ipſe pro nobis crucem aſcendit: ipſe mortuus eſt, ut a terribilibus hiſce pœnis nos liberaret. Dicendum eſt igitur, eas ęternas eſſe juxta Sancti Bernardi argumentum: *Si non fuiſſent ad mortem, & ad mortem ſempiternam, numquam pro eorum remedio Dei Filius moreretur*. Si peccatum fuiſſet malum finitum, & Infernus finitas tantummodo pęnas habuiſſet ad nos puniendos; & non oportuiſſet, ut ad illas delendas Deus totum effunderet ſanguinem.

Reſpondetur objicienti peccatorem non cognoviſſe infinitam Dei magnitudinem, cum peccaret.

Ex eo, quod Theologi docent, cum Deus infinitus ſit magnitudine ſua, inde ſequi, peccatorem, a quo ille graviter læſus eſt, pœna quodammodo infinita puniendum eſſe; nullam vero niſi in duratione ſua infinitam eſſe poſſe pœnam; objiciendi locum arripere poſſet peccator, ſe hanc Dei infinitatem non comprehendere; cognitionem ſuam finitam eſſe, atque peccatum cognitioni ſuæ reſpondere. Futilis eſt hæc objectio. Miſer, qui Regi ſuo contumeliam inferret, nonne lęſę Majeſtatis reus eſſet, licet Principis hujus ſapientiam, fortitudinem, virtuteſque alias ignoraret? Regem ſuum convicio laceſſit; humana juſtitia nihil ulterius expoſceret, ut ſeveriſſimis ſuppliciis in illum animadverteret. Peccator offendit Deum & perfectionibus, & magnitudine infinitum: hoc ſatis eſt, ut mereatur ſupplicium, quod aliquam habeat cum Deo lęſo paritatem, quod ſi ęternum non eſſet, liquet, illi hanc defuturam paritatem, quia in ſe ipſo finitum eſſet.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Aſceticis, Recentioribuſque Concionatoribus loci hujus argumenti.

Magnitudo pœnarum in inferno generatim.

QUod Sanctus Paulus dicebat olim de Cœli deliciis, quas neque oculus viderat, neque auris audiverat, neque in cor hominis aſcenderant, hoc ipſum jure dicere poſſumus de reproborum in Inferno ſuppliciis; videlicet tantos eſſe eorum gemitus, queſtus adeo flebiles, clamores adeo terribiles, horribileſque, ut merito exclamare poſſimus, neque oculus vidit, nequ auris audivit, neque in hominis cor aſcenderunt. Miſeri illi indefi-

nen-

nenter gemunt, Sanctus Cyrillus ait, & nemo illorum miſeretur; de imo inferni clamores emittunt, at nemo tangitur; millies in die deſperatione rapiuntur, & nemo illis opem ferre conatur; quem ſtatum Sanctus Job unico expreſſit verbo: *ſempiternus horror*. *Drexellius in Tabula juſtitiæ divinæ*.

Memoria præteritæ felicitatis damnatorum pœna.

Si malorum omnium maximum, Boetio teſte, eſt præteritæ felicitatis meminiſſe; graviſſimus ſane damnatorum dolor eſt, in horribili carcere contineri, & in malorum omnium abyſſum præcipites datos eſſe, cum poſſent una cum beatis Cœli gloria frui. Veluti cum Sedecias Victoris imperio de regio deturbatus ſolio in obſcurum carcerem detruſus fuit, atque damnatus, ut poſt theſaurorum, natorumque ſuorum jacturam, oculos etiam amitteret; Quæ ſuſpiria in Cœlum ſuſtulit? Cum ſuperbus Aman, poſtquam diu Regis Aſſueri gratia gaviſus eſt, atque eo dignitatis evectus, ut nemini honore, opibus, ac potentia in florentiſſimo ſecundus eſſet imperio, ſe damnatum intellexit, ut de cruce ſuſpenſus animam efflaret, ſe, qui pati æquo non poterat animo, ut omnibus ſibi prætereunti aſſurgentibus, unus tantum ignotus hoſpes ſalutem ſibi dicere detrectaret: quinam fuere ſenſus ambitioſi hujus hominis mire adeo humiliati? Quinam ſenſus Antiochi, qui terræ, marique imperare videbatur, cum horribili percuſſus morbo ſeipſum ab omnibus derelictum, ſibique metipſi gravem intellexit? Memoria ſtatus illius, in quo ante floruerat, mœrorem, doloremque ipſius augebat, eumque dupliciter miſerum efficiebat. *Idem*.

Damnatorum dolor, quod Dei carent adſpectu.

Inexplicabilis dolor eſt, atque ineffabilis triſtitia, ſeipſum per ſcelus ſuum, atque in æternum Dei adſpectu, & poſſeſſione privatum videre. Heu! hæc memoria cor laniat, & indeſinenter excruciat. O me miſerum! inceſſanter damnatus exclamat, poteram, ſi voluiſſem æterna in cœlis gloria frui; mihi non deerant gratiæ, pro Paradiſo creatus eram; at illum nolui, & nunc Deum meum amiſi, amiſi illum in omnem æternitatem, ſupremam beatitudinem meam, unicum objectum, quod felicitatem meam poterat conſtituere, & quod ulterius minime acquiram. Querela, quam olim in Deum edidit impius Cain, levis erat imago illius, in quam erumpent damnati. Hodie, ajebat ille, te mihi abſcondis, & ſuper faciem terræ a te procul me ejicis. Hei mihi! quo concedam? Ille tamen infelix poterat adhuc gratiam acquirere; Sed damnati procul a Deo exterminati ſunt, in terræ centrum relegati, non amplius hujus Solis ſplendorem, neque adorabilis hujus faciei gloriam intuituri. *Idem*.

Inutilis damnatorum in inferno pœnitentia. *Job 29*

Nequicquam miſeri illi ſuſpiria, & ejulatus emittent, repetentque ea Jobi verba: *Quis mihi det, ut ſim juxta menſes priſtinos?* Quis nos priſtinis annis reſtituet, cum opobalſamo nos inungere, & abluere poteramus; cum mundi Salvator affluenter miſericordię ſuę oleum, pretioſique ſanguinis ſui effundebat unguentum? Heu! modo ne una quidem gutta ſtillat ſuper nos; fons nobis exhauſtus eſt; rivi gratiæ, & cœleſtium favorum exſiccati ſunt; Agni ſanguis fruſtra pro nobis effuſus eſt; mors, & paſſio illius nobis nihilum proſunt: tot impenſę, tot labores nobis inutiles ſunt; eorum participes ultra eſſe non poſſumus; tempus, quo ex illis uberrimum fructum percipere poteramus, elapſum eſt; jam actum eſt; tempus illud non revertetur amplius. Hæc illa crudelis eſt cogitatio, quæ in æternum damnatorum corda diſcruciat; eo quod cum potuerint levi labore illud evitare malum, quo opprimuntur, & cœlum mereri, hoc non fecerunt; eo quod gratiam Dei, quæ ſexcenties ſeſe illis obtulerat, contempſerunt; eo quod cum non defuerint ſibi tot tantaque ſalutis ſuę operandę adminicula, ea contempſerunt. Hæc eſt cauſa eorum mœroris, atque deſperationis. *Idem*.

Pœna damni eſt Dei privatio.

Deus damnatum a ſe removebit, eumque in æternum a ſuo conſpectu projiciet; hoc eſt, quamvis infelix anima ſeſe tunc omni rapi ſtudio ſentiet, ut Supremo huic Enti cognoſcendo, atque amando vacet, non enim ignorare poterit amplius, quod hic eſſe deberet ſuus finis extremus, & unica requies ſua; illam ſuaviſſimo hoc adſpectu privabit, eamque replebit ideis, quæ ipſam in contrarios motus determinabunt. Itaque tantum aberit, quod in omni æternitate divinam hanc intueatur eſſentiam, & videat quam amabilis, perfectuſque ſit Deus, tantum aberit, quod divino hoc incendatur igni, quo Seraphim in beata glorię ſede flagrant; ut non aliter ſupremum hoc Ens agnoſcat, quam per tormenta ſua, quę ipſum illi exhibebunt tamquam Judicem ſeverum, inexorabilem, irritatum, ac ultionem tantummodo anhelantem. Illa rabie, quę explicari non poteſt, acta ipſum execrabitur. Fateor equidem; ignotam linguam loquor; etenim ad intelligendam ejus ſupplicii ſeveritatem, quam triſtis hęc ſeparatio gignit, opus eſſet, ut in mea poſitum eſſet facultate efficere, ut ſenſu veſtro cognoſceretis quodnam ſit deſiderium, ardor, ſollicitudo animę corporis ſui pondere liberatę, ut Creatorem ſuum cognoſcat, & diligat. Noſtis, quænam in hoc argumento adhiberi conſueverint ſimilitudines: Sagitta in metam ſuam tendens, accipiter irruens in prædam; ignis ad ſuam ſphæram aſcendens; lapis ad centrum ſuo niſu deſcendens, ſignificant quidem ſtudium, quo hæc ad ſuum finem feruntur; ſed cum anima ſit ſpiritualis, hoc ſtudium, hæc inclinatio alterius eſt ordinis, ac naturæ. In anima enim poſt vitam hanc agnoſcente Creatorem ſuum, eſſe ſupremum bonum ſuum, & ſe extra ipſum phantaſmata dumtaxat umbraſque conſectari; inſtinctus hic, quem habet, ſi hoc pacto loqui fas eſt, ſopitus, atque mortalis hujus vitæ ſpatio ſuſpenſus, repente excitabitur; nullumque inveniens obicem, quo prohibeatur, illa naturalem impetum ſequetur; itaut imperioſa hac vi verſus hoc divinum objectum trahatur. Verum enim vero omnes conatus erunt inutiles; agitabimini, ac voſmet ejaculabimini; ſed fruſtra: Deus enim inviſibili manu vos propulſabit, & recedet a vobis. Neceſſario felices eſſe cupietis, at felices eſſe non poſſe citra adſpectum Entis ſupremi, quod ſe inviſibile præbet, & fugit; quam horrendum ſupplicium! Quiſnam illud poſſet explicare? *Ex manuſcripto Sermone P. Stephani Chamillard*.

Alia idea, & deſcriptio pœnæ damni.

Ut aliquam animo concipiatis ideam ſeparationis adeo crudelis, mementote ſolum eos conatus, quos ipſa exerere elementa vidiſtis, cum detinentur, ne ad ſuum naturale bonum feſtinent, licet illud minime norint. Modicus ventus in terrę viſceribus clauſus montes evertit, rupes explodit, mundi concutit fundamenta. Quem rumorem edit exigua flamma in nube clauſa? Frangit, & conterit, quidquid illi reſiſtit: volvitur, & murmurat ſuper caput noſtrum, efficitque, ut natura ipſa contremiſcat. Quænam igitur erit vis animæ, quæ tanto impetu erga Deum ſuum rapta, & ſciens, quam bonum ſit illi adhærere, ſeipſam ſemotam, ſeparatamque a ſuprema ſua felicitate videbit? Qui dicit ſeparationem, dicit dolorem; & voſipſi noſtis, quo major eſt propenſio; eo graviorem, ſævioremque eſſe ſeparationem. At quodnam ſtudium potentius eſt, quam quo anima fertur in Deum? Non ſolum in illum totis viribus, tamquam finem ſuum tendit; ſed Deus etiam, quatenus Deus, illam ad ſe tamquam magnes, attrahit, ideoque auget vim motus, quo ipſa tendit in illum. Scio equidem futurum ut anima reprobata, & in peccato ſuo obfirmata ipſa velit recedere a Deo; Scio, futurum ut Deus non ferendam hujus animæ videns deformitatem, illam rejiciat tamquam indignam, quæ ad ipſum accedat; verum animadvertite; ipſa horum motuum oppoſitione peccatori ſeparationem hanc magis terribilem effectum iri. Simul Deus, tamquam rerum omnium finis reprobam animam ad ſe trahet, & ſimul tamquam ejuſdem nequitiæ inimiciſſimus illam repellet: eodem temporis momento, quo reproba anima feretur in Deum, tamquam bonum ſuum naturale; eodem ejus voluntas corrupta ab eo tamquam perſecutore recedet. Neceſſario ad Deum ferri, neceſſario a Deo recedere, quod ſupplicii genus eſt duobus adeo violentis, oppoſitiſque motibus ſimul agitari? Sed quo crudelior erit hæc ſeparatio, eo minus cognoſci poteſt. *Eſſais de Sermons pour l'Avvent*.

Rationes, quas Chriſtianus habet cum Deo a quo ſeparatus eſt in inferno.

Dæmones non alium fere cum Deo nexum habebant, niſi creationis; ſaltem, ſe illis non conjunxerat, & uti videtur, a ſe illos non rejecerat, niſi eo pacto, quo figulus ea abjicit vaſa, quæ formam amiſere. Sed Chriſtianus qui præter creationis rationem ad Deum propter Incarnationem quoque, & Redemptionem pertinet: Chriſtianus, cujus anima Jeſu Chriſto conjuncta eſt per mortem ipſius, per ſanguinem, Sacramenta, gratias, innumera beneficia, nonne multo majorem dolorem quam dæmon ipſe paſſurus eſt, cum hęc omnia vincula perfringentur? Et ſine horrore cogitare ſolum poſſumus ſeveriſſimam illam declarationem, cum Deus omnibus Domini, Regis, Paſtoriſque nominibus abdicatis, illos populum ſuum non amplius eſſe profitebitur? *Voca nomen ejus, non populus meus*. *Oſe 1.* *Ibidem*.

In hoc mundo Dei absentia dolorem nobis non adfert.

In hoc mundo absentia Dei non afficimur; proprie enim ignoramus, quod sit Deus, & quomodo ab eodem pendeamus; in altera enim vita tantum modo, ubi anima nostra non amplius a corporis hujus organis pendens, proprie alia habet lumina, quorum ope, cum fideliter Dei magnitudinem, & suavitatem possessionis ejusdem intelligant, norunt etiam quam malum sit ab illius possessione excidisse. Umquamne in patris duo habentis filios alterum quidem adhuc prætextatum, alterum vero ætate provectiorem obitu animadvertistis, hunc tantum dolore confici, hunc afflictari? Facilis ratio est: hic enim nam major solus agnovit quantum boni sibi ex patre vivente cederet, at solus judicat damnum, quod parentis optimi morte sibi illatum est. Talis præter propter esse potest idea, qua intelligere potestis, cur Dei privatio, qua homines in hac vita minime afficiuntur, illos tantopere torqueat in altera. Hic filii sumus nondum rationis compotes, neque agnoscimus quam miserum sit patris suavissimi adspectu carere. Post mortem vero anima reprobata minori obice agnoscens infinitam beatitudinem, quæ est Deo frui, agnoscet quam calamitosum sit illius jacturam subiisse. Eheu! natus eram, ut bonum adeo pretiosum possiderem; factus eram, ut beatus essem, verbo, ut Deo fruerer, & per scelus meum tantum hoc boni, quod adeptus fueram, amitto. *Idem*.

Quomodo cognitio Dei, & Electorum beatitudinem, & reproborum infelicitatem gignat.

Deus idem simul est, & summum Sanctorum bonum, & summum damnatorum malum; summum quidem bonum Sanctorum, quia isti eodem fruuntur; summum vero damnatorum malum, quia illum amisere. Ex duabus animabus, quæ Deum agnoscent, altera quidem in cœlo summam inde beatitudinem, alteram vero in inferno summum dolorem percipiet. Heu! Christiani, quis unquam fando assequi posset crudelem hanc divisionem animæ in æternum a Deo separatæ; Indefinenter attrahitur, indefinenter rejicitur. Attrahit illam Deus, quia spiritualis est; rejicit vero, quia nocens; hæc illa sunt quæ ploratum, rabiem, stridoremque dentium, de quibus loquitur Scriptura, producent. Damnatus agnoscet Deum, quem amisit, & ista cognitio excitabit juge desiderium ad eum festinandi; sed hoc desiderium inutile erit, atque ut Propheta inquit, peribit: *Peccator videbit, & irascetur, dentibus suis fremet, & tabescet; desiderium peccatorum peribit*. (*Psal. 111.*) Proh! quænam erit reprobi rabies, cum ostendet illi Deus beatos gloriæ possessione fruentes, ac seipsum in æternum a supremo bono suo divulsum, atque in horribilem malorum abyssum dejectum videbit, quin sibi aliquis manum tendat, & ferat auxilium; *Essais de Sermons pour les Dimanches. Tomo 1.*

Recordatio scelerum, quæ damnatus perpetravit, non extremum erit ejusdem in Inferno supplicium.

Ex omnibus tristissimis cogitationibus, quæ damnatorum spiritui occurrent, sævissima erit eorum criminum recordatio, propter quæ in horribile illud miseriarum barathrum ceciderit. *Recordare*, dicebat Abraham, diviti illi, qui omni misericordiæ sensu caruerat, in inferni ignibus sepulto, *Recordare quia recepisti bona in vita tua*, atque in rerum omnium affluentia, deliciisque vixisti. Recordare divitiarum, quas improbe dissipasti; egenorum, quibus te inexorabilem præbuisti; conviviorum, in quibus quidquid sensibus gratum, jucundumque accidere poterat, congessisti; spectaculorum, quæ mentem tuam obscœnissimis, atque ad voluptatem ciendam maxime appositis imaginibus repleverunt; musicorum concentuum, qui subtilissimum amoris prophani virus tibi medullitus infuderunt! Horum *recordare*; & recordatio hæc in amaritudinis, ac tristitiæ abysso te immergat, quæ par sit scelerum tuorum abysso, in qua te noxiæ voluptates tuæ sepelierunt; *Quantum fuit in deliciis, tantum date illi tormentum, & luctum. In eodem Sermone.* (*Apoc. 18.*)

Inutilis reproborum pœnitentia.

Reprobe infelix! in æternum omnem pœnitentiæ dolorem, mœroremque habebis, quin ejusdem fructum percipias; cogitationes, quas hodie foves, tibi fuissent in terra salutares; sed ad sensibilia bona conversus, oculos semper habuisti Evangelicis veritatibus clausos; & opus fuit ut illos aperire justitia te cogeret, eosque ad præteritum misericordiæ tempus attollere. Heu! jam actum est! Non est amplius tempus te dedendi; obstinato quidem animo Deum tuum odio persequeris; scies tamen, cum ipsum oderit, illum erga te olim nonnisi amorem, benevolentiam, misericordiam fudisse; tuique odii injustitiam semper magis agnoscens ex earum rerum recordatione, quibus Creatorem tuum posthabuisti. Recordare, inquit Abraham Evangelico diviti, recordare, quia recepisti bona, quæ concupieras in vita tua, & hæc ea esse bona, quæ unico, supremoque bono tuo prætulisti. O crudelem recordationem! O inutilem pœnitentiam! pœnitentiam feram! cur animum non adhibui hujusmodi cogitationibus, dum tempus erat, & dum mederi huic malo poteram, quod nunc spe omni destitutum est! *Sermo Manuscriptus*.

Damnati recogitabunt peritura bona, quæ Deo prætulerunt.

In tristi eo loco reprobus miser indefinenter peritura bona recogitat, quæ damnationis suæ causa extiterunt. Avarus sibi ob oculos proponit ingentem illam pecuniarum vim, quam hæredibus ingratis reliquit; aurum, argentumque illud, quod tanta cura asservabat, contractus reddituum, quos fœnoribus auxerat. Nobilis vir eas sibi videtur magnificas ædes videre, quas sibi extruxit; pretiosam supellectilem, qua erant ornatæ; servorum turbam unice sibi inserviendo intentam, suisque nutibus obtemperantem. Ambitiosus eas considerat laudes, quibus vani adulatores ipsi blandiebantur; commentitias dignitates, eosque honoris titulos, quos laboribus tandem consecutus est. Voluptuosus animo eas repetit mensas lautissimis dapibus opipare instructas; vina exquisitissima, quæ tantis sumptibus comparabat. Heu! si Cœlum hos miseros saltem in errore, & ignorantia, in qua versabantur in terra relinqueret; si densas eas tenebras, quæ illos in mundo excæcarunt, minime dissiparet, hæc fortasse recordatio aliquam ipsis voluptatem tribueret. Verum Deus aufert hoc phantasma, quod illos fefellit; eisque detegit inane, & nihilum fluxorum, fragiliumque bonorum. Inter tot miseros, quibus error suus erit ademptus, vel unus erit, qui in omnem æternitatem terribilem hanc cognitionem pati queat? Hoc illud nihilum est, quod meæ felicitati præferendum putavi; hoc illud nihilum, quo si deperii, & quod efficit, ut nunc Deum meum amare non possim. Utri, mihine, an illi adjacet injuria? Cuinam irascar? Quod ex me requirebat, iniquumne erat, ac supra meas vires positum? Verum attendite, miserrimæ huic cogitationi in Inferno hoc peculiare, propriumque futurum, quod erit assidua. In hac vita, somnus, mentis evagatio, tempus, amici doloris magnitudinem minuunt; sed ubi loquimur de alterius vitæ supplicio, jam æternum est, omnique caret intermissione. *Sermo manuscriptus P. Stephani Chamillard*.

Odium damnati in Deū impotens est.

Damnatus in calamitoso eo contubernio Deum æterno persequetur odio; sed eo sub ultricis dexteræ Dei pondere oppresso odium hoc impotens erit. Vellet Deum ulterius non esse, ac omnino destrui; vellet illum videre de gloriæ solio deturbatum, a creaturis omnibus derelictum, ab hominibus, Angelisque probris, conviciisque impetitum. Vellet illius coercere potestatem, vel ad eum statum redigere, ubi non posset amplius ab ipso torqueri: vellet illi magnitudinem, adorabilem Majestatem, omnesque perfectiones auferre; ut verbo me expediam, vellet illum quoque infelicem, & pœnarum, quas ipse patitur, consortem efficere. Hinc horribiles illæ blasphemiæ, execrabilia juramenta, inauditæ imprecationes, quas evomit indefinenter; hinc furores, ululatus, stridoresque; hinc insana, ac inutilia desideria, quibus incessanter agitatur. Sed Deum hunc semper inveniens fulminibus, telisque armatum omnipotentem, in sententiis suis immutabilem, in duratione æternum, rabiem, ac desperationem suam in seipsum retorquet. *Idem*.

Damnatus frustra mortem cupiet.

Desiderabunt mori, & mors fugiet ab eis. Apocal. 9. Satine intelligitis crudele hoc reproborum fatum? Si seipsos vorare possent, ac in nihilum reverti, ne momentum quidem hærerent. Quid? suam poscere destructionem, se ad id armare, eam sibi procurare velle, eamque habere loco gratiæ, quæ obtineri non potest? Homo in Inferno amittitne naturale illud studium, quo suæ studet incolumitati? Non habet ultra cupiditatem immortalitatis, qua numquam cessare desiderat? Quid ad hoc in terris operatus, vel potius passus non est? Nonne morti prætulit acutissimos morbos, bonorum jacturas, carceres, catenas? Aliquandone eo usque ferebatur, ut sincere ex hoc mundo egredi optaret? Quamvis statim pœnitentia subsequeretur, & palinodiam caneret; attamen inde judicium inferebatur, gravissimis illum doloribus exagitari, quandoquidem hoc capiebat consilium. Damnatus similem habet studiorum inclinationem, immo etiam vehementiorem; oportet ergo, ut illius rabies, & desperatio horribile supplicium sit. *Idem*.

Quamquam damnatus miser Deum odit, eum-

Recordatio gratiarum divinitus acceptarum gravissimū erit damnati tormentum.

que erga se crudelitatis insimulet, attamen ignorare non potest, hunc eumdem Deum nihil intentatum reliquisse, ut illius sibi amorem sexcentis beneficiis, ac benevolentiæ argumentis conciliaret. Ideæ eorum, quæ in vitæ mortalis suæ spatio acciderunt, omnino deletæ non sunt; quædam supersunt adhuc earum vestigia. Licet terribilibus divinæ justitiæ, iræque telis exagitetur, in mentem revocat semper ea amoris argumenta, quæ toties a Deo recepit; amorem, quo Deus cor ipsius sibi conciliare conatus est; sollicitationes, quibus illum urgere non destitit; patientiam, qua illum præstolatus est; valida, quæ obtulit subsidia; interiores voces, quibus usus est ut eum invitaret, & ab erroribus revocaret: Electas gratias, quibus illum prævertit. Meminit, se integros annos obstitisse, rejecisse, & contempsisse gratias, & lumina ejusdem Dei, quem tunc bonitatis, & misericordiæ plenissimum experiebatur. Ob mentem ipsius versantur flagella, clavi, crux, aliaque tormenta, quæ pro ipsius amore Salvator passus est; sed recordatur simul se omnibus hisce generalibus, & particularibus abusum fuisse beneficiis, & hunc fontem divinæ Misericordiæ, pro se exhaustum esse, quod ejus parit desperationem. *Idem*.

Damnati in æternum odio persequentur eos, quos magis amaverunt in terra, si illi suæ damnationis extiterint causa.

Scitisne vos, qui hodie noxios fovetis amores, tempus venturum, quo vinculis hisce per mortem disruptis, mutuum, atque irreconciliabile odium erit inter vos, & eos, quos salutis vestræ detrimento amaveritis, vosque invicem supplicii vestri mutua instrumenta futuros? Ita est; Filius, quem tantopere diligitis, & propter amorem cujus ipsa etiam necessaria vobismetipsis negatis, ut optimam illi relinquatis hæreditatem; hic, inquam, filius adeo perdite amatus, propter luxum, libidinesque suas damnabitur; sed statim ac in inferno sepelietur, vobis maledicet, vos odio persequetur, vos, tamquam malorum suorum causam detestabitur. Mater inhumana! exclamabit ille; opusne erat, ut me in lucem ederes damnandum? Eheu! Nisi fuisset cæcus affectus tuus, perniciosæque blanditiæ, quibus meam voluntatem, quacumque tibi libitum erat, circumferebas, secutus fuissem vocem Domini clamantis, & nunc cœlesti beatitudine fruerer. Barbara mater! opusne erat, ut tuus essem filius? Hæc una idea satis erit ad furibundum odium in filio erga te excitandum. Tu vero, o pater, intelligens filium hunc tuum unicum fuisse tuæ salutis impedimentum; tamquam inimicorum tuorum sævissimum intueberis. Non audientur amplius suavissima illa nomina filii, patris, conjugis, amici; hæc immo in atrocissimas convertentur injurias, atque in sævissimas execrationes; quia in illis malorum omnium fons, & principium invenietur. Utique, tu, qui perdite perituram deperiisti formam, mortali odio persequeris illam, a qua amabaris, & illa quæ cor non habebat, nisi ut te amaret, vicissim te oderit, itaut velit supplicia sua augeri, dummodo illinc tuis cruciatibus fiat acerbitatis accessio. Dum tua furebat insania, nihil magis optabas, quam ut ad mortem usque illi hærere posses, eumdemque cum ipsa subire finem. Voti damnaberis: illi in omnem etiam æternitatem hærebis: eorumdem scelerum fontes iisdem ignibus torquebimini, atque alter alterius vicissim tortores eritis. *Idem*.

Quomodo damnati peritura hujus vitæ bona, & peccata ab ipsis patrata considerabunt.

Damnatus, licet invitus animo reputans, se pro fluxis, fragilibusque bonis, & quæ boni inanem tantummodo referebant umbram, vero, unico, summoque bono excidisse, se propter turpem quæstum, obscœnam voluptatem, ineptum honorem æternitate bonorum, delitiarum, & gloriæ carere; hæc inquam reputans in hujusmodi stimulis, in hac pœnitentia, tunc fera, inutilique vermen habebit, qui illum depascet numquam moriturus: *Vermis eorum non moritur*. (*Marc. 9.*) Hæc illa erit incurabilis plaga, quæ semper ea recordatione exacerbata, quam damnatus abjicere non poterit, æternum in anima illius contabescet. Non indigebit Deus, Sanctus Joannes Chrysostomus inquit, furiarum, & dæmonum opera, ut damnatos excruciet; hi erunt sibimet tortores sævissimi. Iniquus hic Judex torquebitur injustitia sua; detractor ille horribilibus obtrectationibus, quas effudit, mercator suis astubus, quibus cum viduarum pupillorumque detrimento opes congessit. Malarum voluptatum recordatio in reprobo relinquet impressiones fellis, & amaritudinis in æternum minime delendas, Sanctus Bernardus inquit. Omnes illicitarum voluptatum illecebræ jam præterierunt, pœnitentia vero eo quod peccator se illis abdiderit, non præteribit. *Momentaneum, quod delectat, æternum, quod cruciat: Facere in tempore fuit, fecisse in æternum manet. Essais de Sermons, pro septima post Pentecosten Dominica.*

Gratiæ, quibus damnatus abusus erit, acerrimus erit dolor ejusdem.

Damnatus præteritorum, quibus abusus est, gratiarum; tot, quæ habuit, neglexitque, ad salutem operandam, adminiculorum recordatione torquebitur. Poteras, exprobrabit illi conscientiæ vermis, adeo facile poteras sincera pœnitentia æternam evitare calamitatem: Non defuit tibi cogitatio, non defuit gratia, eamque Deus Sanguinis sui pretio tibi comparaverat: in tua positum erat facultate eadem uti; eam vero noluisti, cum potuisti; illam in æternitate velles, & habere non poteris. Cordis contriti, humiliatique suspirium, sinceræ pœnitentiæ lacryma hæc omnia mala prævertere poterat; dolores æterni, perennes lacrymarum fontes te istinc liberare non poterunt. Clamores, stimulique mei tunc te movere non valuerunt; nunc vero torquere te valent. Tunc pro tua salute clamabant, neque illis adhibebas aures; clamabunt pro supplicio tuo, & licet invitus eos audias; sed, o te miserum! quin tamen proficere possis. Cur non præbemus nosmet sensibiles hujusmodi stimulis, Sanctus Bernardus inquit, nunc, cum nobis utiles esse possunt; & eodem tempore, quo illos sentimus, etiam omnino retundere possumus, auferentes illis materiam, qua aluntur? *P. Nepveu, Tomo secundo Christianarum Considerationum*.

Præterita peccata in damnatorum memoria subsistent.

Reprobus in Inferno tandem præteritorum peccatorum recordatione torquebitur. Quandiu damnati vigebit anima, S. Bernardus ait, tandiu & peccatorum memoria vigebit; sed quam turpis, quam horribilis memoria! Crimina illius videntur præterita, sed falso; in seipsis non subsistunt amplius, non subsistunt quoad voluptatem, sed quoad pęnam adhuc subsistunt; & quemadmodum fieri non poterit, ut hæc scelera minime commissa fuerint; cum eorum non egerit pœnitentiam fieri non poterit, ne in effectibus suis in omnem æternitatem subsistant. Reprobus in æternum suo peccato torquebitur; æternum enim recordabitur se illud patrasse, neque per pœnitentiam delesse. *Idem*.

Bonorum, & voluptatum memoria illos angit.

Magnus aliquis, atque felix e sæculo, qui in deliciis volutabatur, momento se ad inferos raptum videt. Quæ mutatio! Præsentem cum præterito statum comparat; & hæc comparatio efficit, ut præsentis infelicitatem magis intelligat; præteritorum enim bonorum memoria præsentium malorum sensum reddit acriorem, præsertim cum cogitat, voluptates suas adeo leves fuisse, cruciatus adeo violentos esse, voluptates fuisse momentaneas, & mala æterna futura. Voluptas præteriit, inquiet ille; tormentum vero ex ea voluptate genitum in ęternum permanebit. Me miserum! momenti unius voluptas ęterna pœnitentia, ac dolore expianda est? *Idem*.

Agitatio, & conatus animæ in Inferno a Deo separatæ.

Anima hęc a Deo separata, motibus maxime oppositis, ac violentis agitabitur. Agnoscet Deum infinite amabilem; illum amare volet, & non poterit: sentiet, illum supremum esse bonum suum, attamen illum non poterit possidere. Naturalis, validusque motus versus summum hoc bonum illum impellet, sed peccatum in eodem regnans illum repellet. Cupiet possidere Deum; quandoquidem unum ipsum beatitudinem suam efficere posse cognoscet; sed hoc desiderium rejectum in furorem immutabitur, eumque coget odisse, quod amare vellet, nec potest, atque cupere interitum ejus boni, quod vellet quidem, sed non potest possidere. Deus summum est illius bonum; quomodo illum non concupiscere potest? Deus illius inimicus, & persecutor est; quomodo potest non illum odisse: quomodo non cupere illius destructionem! Ardenti illius rei cupiditate flagrare, cujus numquam obtinebitur possessio; necessario odisse, quod semper optabitur, hęc damnatorum occupatio est, hoc supplicium. Eheu! quam tristis erit sors damnatorum? *Idem Tomo 2.*

Quodnam supplicium est Deo carere in Inferno.

Neque expectetis, a me vobis eam describi rabiem; qua damnatus infrendet eo quod Deum suum in ęternum amiserit. Æque miseri essemus, ac ipsi damnati, si dicendo assequi possemus, quid sibi velit Dei jactura; non enim nisi, qui illam experiuntur, & sentiunt, eam intelligere valent. Donec in terris versamur, non sentimus naturalem nexum, qui Deum inter, animasque nostras invenitur; non sentimus secretum illud studium, quo illę Deo tamquam principio suo adhęrere, atque sese cum eodem conjungere cupiunt; non sentimus denique secretos motus, quibus in Deum, veluti centrum feruntur. Corporum nostrorum pondus ani-

animas terram verſus detrahunt, & graves corporis motus prohibent, ne animæ motus ſentiamus; at aliter accidit in Inferno; ibi anima non pendet amplius ab organis corporis, nullis ſenſuum impedimentis prohibetur; atque omnem ſentiens vim illius propenſionis, qua Deo, & Creatori ſuo cupit adhærere, nequit ſeparata ab illo ſubſiſtere, & ſingulis momentis ſeipſam ejaculatur, ut cum eodem conjungat. Sed illam indeſinenter repellit Deus, atque rejicit. Nequit illa ſine Deo vivere; Deus nihilominus efficit, ut illa procul a ſeipſo vivat in æternum: Illa inceſſanter feretur in Deum, Deus vero numquam ibit ad illam. *Eſſais de Sermons Tomo 4. pro Dominic. 3. poſt Epiphan.*

Inveniet quidem reprobus in Inferno Deum, ſed ſuorum ſcelerum ultorem. *Pſal. 138.*

Audire mihi videor quemdam ex calamitoſiſſimis reprobis indeſinenter hæc Prophetæ verba in horribili eo carcere teterrima voce iterantem, ex quibus rabies, & deſperatio ejuſdem augetur: *Si aſcendero in Cælum, tu illic es, ſi deſcendero in Infernum, ades.* Si oculos ad Cœlum ſuſtollo, ibi te Deum clementiſſimum video, at ego ibi non ſum; ſi in Inferis circumſpicio, hic es juſtitiæ Deus, & hic quoque ego ſum. Si Cœlum ſuſpicio, ibi Deus es beatitudinis, Deus deliciarum, Deus remunerationis; ego vero ibi numquam ero; ſi in Inferno deſpicio, me miſerum! tu iſtic es Deus terroris, Deus iræ, Deus ultionis, & ego quoque hic ſemper ero. In cœlo Deus eſt æternæ bonitatis, at illum in æternum amiſi: in Inferno Deus eſt ultionis æternæ, eumque in omnem æternitatem inveni. Hæc duo illa ſunt, quibus damnati in Inferno ad deſperationem redigentur. Deum & amiſerunt, & invenerunt; amiſerunt Deum miſericordiæ, & invenerunt Deum juſtitiæ. *Ibidem.*

Reprobus ſua culpa damnatur.

Inde vero damnatorum rabies, & deſperatio in Dei ſui jactura creſcit, eo quod ſingulis momentis ſe tanto bono ſua culpa excidiſſe conſiderant. Quantumvis miſer ſis, cum infelicitati huic cauſam minime præbuiſti, beatior es, quam quilibet putet; ſed cum miſer es, & culpa tua miſer, fateor equidem, hic eſt cumulus deſperationis, & hoc damnatorum infelicitatem efficit intolerabilem. Vident illi indeſinenter omnia ſua ſcelera; vident ſe inferni pœnas meritos fuiſſe; vident ſe hoc ſolatio carituros, ut dicere queant, ſe injuſte pati. *Ibidem.*

Et pro nihilo.

Damnati Deum amiſerunt, & culpa ſua amiſerunt: ſed cumulus deſperationis eorum eſt illum pro nihilo amiſiſſe; atque pro breviſſimo fallacium voluptatum momento infinita, veraque bona amiſiſſe. Audite, quæſo, quomodo reprobi in inferno loquantur: *Quid nobis profuit ſuperbia, & divitiarum jactantia quid contulit nobis?* Quid miſeri dicitis? quæritis quid vobis opes veſtræ profuerint? Nonne profuere, ut in terris beatam vitam duceretis? *Tranſierunt illa omnia tamquam umbra.* Heu! hæc omnia fulguris inſtar evanuere, & pro hoc momento Deum meum amiſi? Quænam rabies, quænam deſperatio! Miſericordem amittere Deum, proculdubio malorum omnium eſt maximum; ſed invenire Deum ultorem hic eſt cumulus deſperationis. *Ibidem.*

Sap. 5.

Ibidem.

Deus damnatis tribuit ſublimem cœleſtium bonorum ideam, ut eorum augeat cruciatum.

Imprimit Deus in damnatorum ſpiritu ſublimem pulchritudinis cœli, gloriæ beatorum, ac æternæ perfruitionis ideam, ut acrius ſentiant tot locupletiſſimorum bonorum jacturam. Ut illos confundat, non ut conſoletur, has tribuit cognitiones, atque ut in illos amariſſimos, graviſſimoſque dolores excitet, ubi culpa ſua de cœleſtium bonorum poſſeſſione dejectos, atque in æternum a facie Dei rejectos eſſe intellexerint. Magnum deſperationis eorum argumentum eſt, ſupremum bonum ſibi non amplius bonum eſſe; ſupremum hoc bonum in ipſos ſeveriſſimum eſſe; atque omnes Dei perfectiones in id conſpirare, ut Dei quidem ulciſcantur injurias, damnatorum vero tormenta efficiant graviora. Flagitioſe vir, qui modo in ludibrium vertis omnes Concionatorum conatus, aliquam tibi præbere adnitentium ideam magnitudinis hujus jacturæ, videbis aliquando funeſta doctus experientia, quidquid ab ipſis dictum fuit, quam procul a rei magnitudine abeſſe. Contabeſces rabie videns illum Deum, qui te tot cruciatibus torquebit, illum ipſum eſſe, qui erga te, donec viveres, pietatis viſcera habebat. Divinus iſte Redemptor, qui poſtquam pro ſalute tua vitam, ſanguinemque effudit, nonniſi funeſtiſſimas ore profert ſententias, ac utraque manu fulmina torquet, ut te a ſuo aſpectu removeat. Dentibus infrendes videns, te ſupremi illius boni, quod vivens dedignatus es, & contempſiſti, ſummo ardore flagraturum, ſed fruſtra; hoc enim deſiderium jacturę tuę ſenſum augebit; atque inde mœrori tuo ſumma fiet acceſſio, quod pro nihilo te jacturam hanc ſubiiſſe, eamque in ęternum ſubiiſſe videbis. *La Font, in Eccleſiaſticis alloquiis pro prima poſt Epiphaniam Dominica.*

Deſideria damnatoris inutilia.

Nihil magis intolerabile, & quod acerbiorem afferat dolorem eſt, quam indeſinenter velle, quod numquam obtinebitur, & perpetuo odiſſe, quod ſemper neceſſario perferendum erit. Damnatus in triſtiſſimo hoc ſtatu verſatur. Etenim furoris ejuſdem, ſed inutilis furoris objectum, Deus eſt, quem poſſidere non poteſt, ac vellet delere. Quandoquidem illi adhærere non poteſt, illum non amplius exiſtere cuperet. Itaque miſer ille undique ſuis & deſideriis, & odiis torquebitur. *Joly Tomo 2. Propoſitionum.*

Dei deſtitutio in inferno. *Oſeæ 1.*

Quot ſunt, qui in inferis triſte hoc nomen gerunt: *Non populus meus.* Hæc funeſtiſſima epigraphe oſtio illius abyſſi inſculpta eſt. Qui hic ſunt, non ſunt amplius populus Dei; fuerunt quidem olim, ac amplius non ſunt; illum poſſidere poterant; at numquam in æternum illum videbunt, nec poſſidebunt. Fortaſſe amici veſtri, fortaſſe parentes, fortaſſe filii hoc in numero recenſentur; ſed voſipſi quoties deplorabilem hanc deſtitutionem eſtis promeriti? Quoties meriti eſtis, ut in infernum præcipites dejiceremini, niſi perennis Dei bonitas, & miſericordia vitam vobis produxiſſet, ac pœnitentiæ tempus reliquiſſet! Cogitate, beneficium hoc non extitiſſe minus, quam ſi jam lapſos illuc, re ipſa inde eduxiſſet. *Ibidem.*

Damnatorum deſperatio.

Periit finis meus, & ſpes mea a Domino. Thren. 3. Reprobus in inferno dicere poterit: Ecce propter ſcelera mea damnatus ſum; ecce finis, quem tota vita mea invenit. Alteram male inventurum vitam in Dei poſſeſſione putabam; ſed hæc ſpes me fruſtrata eſt. Deus in æternum meus judex erit, numquam vero merces mea: Deus in æternum erit, ſcelerum meorum vindex; numquam mea erit beatitudo: Deus in æternum erit ſupplicium meum, numquam requies, & gaudium. Dum viverem cum illo bellum gerere volui; nunc autem pax eſt mihi deſperanda: *Periit finis meus, & ſpes mea a Domino. Idem.*

De pœna damni, aut privatione Dei in inferno.

Sive hæc Dei ſeparatio ſpectetur tamquam violenta rerum duarum ſeceſſio, quæ ſuapte natura conjunctæ eſſe deberent; ſeu conſideretur veluti duarum perſonarum divortium, quæ viciſſim altera alterius eſſe deberent; ſeu tandem exhibeatur tamquam irreconciliabile deorum odium, qui ultro citroque ſeſe amore deberent complecti: quam acerbum erit Chriſtiano infernis ignibus addicto Dei ſui in æternum jacturam feciſſe? *Vide quia malum, & amarum eſt reliquiſſe te Dominum Deum tuum.* Quinam erit animæ dolor, quæ eo majori niſu in Deum ſuum rapta, quo magis cognoverit, quantum boni ſit adhærere Deo, ſeipſam a ſummo hoc bono divulſam, atque projectam videbit? Qui dicit ſeparationem, dicit dolorem; & noſtis, quo major eſt inclinatio, ſeparationem eo acerbiorem eſſe, & crudeliorem. At quænam vehementior inclinatio, quam animæ tendentis in Deum? non ſolum ad eum tamquam finem ſuum omnibus viribus fertur; ſed Deus ipſe, quatenus ſummum bonum illam trahit, ideoque auget vim motus illius, quo ipſa tendebat in Deum. *Fromentieres Sermone hujus argumenti.*

Jerem. 2.

Noſtiſne, Sanctus Auguſtinus ait, quid ſit privatio Dei, quam reprobus patitur? *Exhæredatio, divortium, diſſolutio.* Filius exhæredatus, uxor repudiata, membrum luxatum, atque divulſum ecce quid proprie ſit damnatus. Deus erat hujus hominis pater, cœlum ejus hæreditas; & per inobedientiam ſuam meritus eſt, ut de adeo opulenta poſſeſſione deturbaretur. Deus erat hujus animæ ſponſus; illum ſumma complexus fuerat ſemper benevolentia, ut ſponſam; at ejus infidelitas cogit Deum, ut illi det libellum repudii, tamquam infamis, atque ſuaviſſimæ affinitatis nodum infringat. Verum hæc Dei privatio erit magis adhuc intolerabilis, quia neceſſario mutuum Dei, & peccatoris odium complectetur. Deus æterno perſequetur odio peccatorem, quia nihil amplius in illo dignum inveniet amore ſuo, Deus reprobam animam execrabitur, atque omni niſu, ac poteſtate ſua deteſtabitur; atque ut omnia verbo complectar, illam ex neceſſitate Eſſentiæ ſuæ, quæ illum naturaliter, atque immutabiliter peccati inimicum conſtituit, abominabitur. *Idem.*

Vividum animæ damnatæ ſtudium, quo Deo ſibi ſuo hærere cupit.

Studium illud, quo anima fertur in Deum, quodammodo infinitum eſt, quia animæ hujus capacitas aliquid habet infinitum; cum omnia finita illum replere non valeant, & Deus, qui infinitus eſt, illam ad ſe trahat cum omnibus perfectionibus ſuis, quæ ipſum mirum in modum amabilem reddunt, & quarum illi validam imprimit ideam. Quis igitur mente aſſequi poteſt vim illam, qua hæc anima fertur in Deum? Summa quidem eſt, ſed conſtans; numquam interibit, numquam mutabitur, etenim naturalis inclinatio, & capacitas neque relinqui, neque mutari poteſt, niſi natura mutetur. Ideo deſiderium ſeſe Deo conjungendi, eumque poſſidendi, ſemper violentum erit, & vehemens; juge erit, ac numquam intermittendum. *Sermo Manuſcriptus.*

Ejuſdem argumenti.

Anima hoc in ſtatu eſt quodammodo in omnibus facultatibus ſuis dilaniata, reo ſimilis, qui exquiſitiſſimis urgetur tormentis, ut ſceleris confeſſio ex ore illius extorqueatur. In ſublime attollitur, quibuſdam machinamentis, quæ illum in aere pendulum detinent; in terra detinetur enormis gravitatis pondere pedibus alligato. Hoc in tormento, & ſurſum attollitur, & deorſum premitur; pars illius elevatur, pars immobilis detinetur, & miſer funeſtiſſimi hujus ſupplicii vi dilaniatur, & incomprehenſibilibus doloribus torquetur. Dici poteſt, licet imperfecta ſit comparatio, aliquid ſimile damnato accidere; illum Deum verſus ſuum attollit deſiderium; illum ſua detinet reprobatio; & hoc pacto anima ipſa quodammodo dilaniatur. *Idem.*

Damnati dolor, & odium contra Deum.

Novit profecto Deus ſe cognoſcendum præbere damnatis ad eorum pœnas, ac dolores propter ſui privationem augendas. Heu adſpectus! heu cognitio! quantum illis dolorem affers! *Peccator videbit, & iraſcetur.* Ex hoc intuitu orientur rabies, furores, deſperationes, odia, horribiles in Deum blaſphemiæ, & contra ſemetipſos imprecationes. Mene, impius in inferno exclamabit, mene Chriſtianum hominem, gloriam, & regnum Jeſu Chriſti abdicaſſe pro aliqua gloriola, pro obſcœna quadam voluptate? Nonne id ego feci? Mene Chriſtianum hominem, fidei donum habentem, neque ignorantem, quid ſi Deus, quid Paradiſus, hæc omnia pro futili quadam re pro nihilo reliquiſſe? Nonne id ego feci? Millies hoc feci; inficias ire non valeo. O crudelem ambitionem, quæ mihi veram eripuiſti gloriam! O fallaces opes, quæ mihi cœli bona abſtuliſtis! O profanum amorem, qui mihi Dei mei odium conflaſti! Fragiles voluptates! Æterna ſupplicia! O Chriſtiani dignitatem, quæ ad nihilum mihi prodeſt, ſed me efficit miſeriorem! O æternum Dei odium! O Dei furorem implacabilem! O malorum omnium extremum! Hoc nequaquam extimeſcemus, quia non intelligimus; neque illud intelligimus, niſi quia ad illud animum non advertimus. Sed impius æternis addictus incendiis hoc ſemper cogitat, ejuſque voluntas ſemper eſt occupata ſceleribus ſuis deteſtandis, quæ illum Deo in æternum efficient odibilem. Inde oritur æternus dolor, & maledicta pœnitentia, quæ nullum eſt unquam finem habitura? *Pœnitentiam agentes, & præ anguſtia ſpiritus gementes. P. Texier in Adventu impii infelicis.*

Sap. 5.

Ejuſdem argumenti continuatio.

Eheu ſuperbia, divitiæ, noxiæ voluptates, quid profuiſtis mihi? Ecce me pro ficta boni larva huc redactum, ubi in æternum torquendus ſum. Satis levem agens pœnitentiam, pravam illam deſerens conſuetudinem, alienum illud bonum reſtituens, cum inimico rediens in gratiam, facile poteram me iis liberare pœnis, quæ patior, nec feci; neque modo ulla ſupereſt medicina, neque erit ulla in omnem æternitatem. Quomodonam, o Deus, eouſque inſaniæ, ac furoris, evaſi, ut vel uno momento tuus eſſem inimicus! Attamen fui, neque uno momento, ſed menſibus, anniſque integris fui! Et eo in ſtatu ſolatiis vacare potui; conſcientiam lethali vulnere confoſſam gerens quieſcere potui: ſæpe etiam ne cogitavi quidem vitæ meæ rationem memet illi objicere calamitati, quam modo patior. O furorem! O miram cæcitatem! *P. Segneri de vera ſapientia.*

Repellet Deus in altera vita damnatos, quemadmodum in hac eum damnati repulerunt. *Prov. 8. Apoc. c. 3.*

Deus, & anima, ut ita dicam, agendi rationem immutant. In vita, Deus illam vocabat, illa vero audire nolebat: poſcebat ille cor hominis, ac de eo victoriam referre meditabatur; in hoc delitias ſuas conſtituebat, ſi illud poſſideret, ac ſe cum eodem conjungeret. *Deliciæ meæ eſſe cum filiis hominum.* Anima e contra dedignabatur illum; & ipſe non ideo recedebat: *Ego ſto ad oſtium, & pulſo.* Ille præſtolabatur, urgebat, inſtabat, nihilque ipſi grave erat, dummodo id conſequeretur. Supremus naturæ Dominus, omnia ſuo impendit amori. Sed homo tantum aberat, quod reſponderet, ut imo animum ſuum obfirmaret, ac nulla re afficeretur; imo vero per ſummam impietatem omnia contemneret: ſed veniet dies, & ecce venit, quo omnia invertentur; vos enim, o miſeri, quæretis Deum, & vos ego repellam... Vos quidem incipietis, at ille non adhibebit aures; vos expectabitis, at ille indurabitur; vos illi dolorem attuliſtis, ipſe veſtrum erit ſupplicium; vos noluiſtis eſſe populus ejus, & nolet ipſe Deus eſſe veſter. *P. Cheminais Tomo 4.*

Pœnitentia eo quod occaſiones ſalutem operandi, prætermiſſæ fuerunt, damnatum torquebit.

Cum anima inanes repetet voluptates, quibus Deum ſuum ſacrificavit, & eas perſonas propter quas adeo abominabile ſacrificium effecit, quot in mentem revocabit momenta, quibus facile ſibi certam facere potuiſſet ejus boni, quod amiſit, poſſeſſionem? Deus illi apponet, indeſinenter in eadem hanc fovebit cogitationem; neque ulla erit, quod in hac accidit vita, intermiſſio, ubi ſomnus, mentis evagatio, tempus, amici doloris minuunt acerbitatem: *Scito, & vide, quia malum, & amarum eſt reliquiſſe te Dominum Deum tuum.* Toties hoc tibi dictum fuerat; at fidem adhibere numquam voluiſti; *vide*, ſenti, tuis diſce impenſis, experire, ac tandem intellige, quantum tibi ſupplicium ſit a fine tuo ſeparari.

Jerem. 2.

Omnia inferni tormentorum acerbitas.

Heu! qui poterit juſtam malorum inferni concipere ideam? Summus divinæ juſtitiæ effectus nonne particeps eſt incomprehenſibilitatis ejuſdem Dei? & licet creatæ mentis extenſio immenſam illius æquare magnitudinem poſſet, quænam verba ſatis apta poſſent inveniri, quibus aliis exprimeretur? Poſſumus quidem cum Jeſu Chriſto aſſerere infernum eſſe *locum tormentorum*; quorum autem quis dixerit? *Magnus chaos*: abyſſus eſt impenetrabilis, de qua nonniſi confuſe haberi ſermo poteſt; locus eſt, ubi omnia coacervantur mala ſecundum omnem infinitæ ultionis ſeveritatem. *P. Dozenne, in libro cui titulus: Mundus a ſeipſo damnatus.*

Luc. 16.

De pœna ſenſus, præſertim de igne quo damnati torquebuntur.

Pro exterioribus ſuppliciis, quibus in Inferno damnati torquentur, elegit Deus ignem ultionis ſuæ inſtrumentum, quia ex omnibus naturalibus cauſis, non alia melius ſuam vim oſtendit. Ignis iſte locum tenebit Dei potentis, atque irritati: *Tamquam ab igne Dei vicario*, quidam Eccleſiæ pater ait. Videtur Deus huic omnes perfectiones ſuas communicaſſe, ſapientiam ſuam, Dei ipſius diſcretionem habebit, minus nocentem a nocentiori diſtinguet; Chriſtianum, qui toties abuſus eſt gratiis Dei ſui, ab Infideli, qui illum non cognovit; Hæreſiarcam, qui ſevit zizania, ab Hæretico, qui deceptus fuit; Peccatorem, qui ſcandalo fuit, ab eo, qui per infirmitatem peccavit; Sacerdotem a laico, Religioſum a ſæculari. Hic igitur ignis pœnam ſceleribus æquabit: *Quantum fuit in deliciis, tantum date ei tormentorum.* Ad hæc Deus huic igni immenſitatis ſuæ partem communicabit; quocumque repet, de vena in venam tranſiliet; in oſſa, medullas, intimaſque partes feret incendium. *Sermo manuſcriptus.*

Apoc. 18.

Nihil ſimile viſum aut conceptum fuit damnatorum ſuppliciis.

Viſa ſunt profecto ſæviſſima inſtrumenta, ac terribiles machinæ ad homines excruciandos inventæ: viſæ ſunt rotæ, viſæ horribiles prunæ, viſi ferventis olei lebetes; ſed hęc omnia ne accedunt quidem ad pœnas inferni. Audivimus tot excogitata ſupplicia, quorum ſola cogitatio horrorem ciet; audivimus ſęviſſimos morbos, qui potius perennes mortes vocari poſſunt, ſed hæc omnia nihil ſunt, ſi cum damnati unius cruciatibus comparentur. Scimus, priſcorum tyrannorum mentem ea adinveniſſe tormenta, quorum ſola conſideratio pœna eſt; ſed quantumvis magna, ſęvaque fuerint, non aliud erant, quam umbræ quędam tormentorum inferni. Si Prophetas interrogo, quid ſit infernus, horribilia quidem, ac terribilia dicent, ſed earum pœnarum acerbitatem non aſſequentur. Reſpondebunt alii, Infernum eſſe pelagus ignis, ubi ardentes ſunt fluctus, & flammæ, quæ ad montium inſtar ſeſe attollunt, quæ horribiles ignis procellas miſcent, numquam ſedandas: *Excandeſcet in illos aqua maris.* Dicent alii infernum eſſe *terram miſeriæ, & tenebrarum, ubi umbra mortis, & nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat.* Locum, ubi excitat Dominus fontes bituminis, ſulphuriſque numquam exhauriendos: *Convertentur torrentes ejus in picem, & humus ejus in ſulphur.* Pro pluvia, & rore ſuper damnatorum capita ardentes decident prunę: *Cadent ſuper eos carbones.* Ibi peccatores in medio maris ignei vinculis, cateniſque pariter igneis vincti ſunt, quin inde expedire ſe valeant: *Pluent ſuper peccatores laqueos ignis.* Ibi nulla pax eſt, tranquillitas nulla, ſpiritus procellæ, ac tempeſtatis perpetuo infelices has victimas agitat: *Spiritus procellarum pars cali-*

Sap. 5.

Job 10.

Iſaiæ 34.

Pſal. 139.

Pſal. 10.

Ibidem.

Matth. 22.

calicis eorum. Amicitia, & miseratio ibi non regnant; gemitus tantum, clamores, lævique ululatus audiuntur: *Ibi erit fletus, & stridor dentium*. Eheu! Christiani, quam terribile est incidere in manus ultoris Dei? Mundi opes, mundi vanitates, mundi voluptates huccine tandem evaditis, *Essais de Sermons pour les Dimanches. Tomo 4. in tertiam Dominicam post Epiphaniam.*

Admirandæ ignis inferni qualitates.

In igne inferni, Sanctus Chrysostomus inquit, hoc mirum erit, quod Deus illi secretam tribuet virtutem, qua dignoscet, quanam in re damnati Deum magis offenderint: *Interrogabit ossa, & medullas, & cogitationes nostras*.. Hic ignis, magnus, ille Doctor ait, animæ ipsius penetralia permeabit, ut ibi secretum peccati characterem inveniat: *interrogabit*. Ignis hic obtrectantium linguæ adhærebit; deteget ibi sermones subdolos, versutosque, quibus proximo parabatur excidium. Flammæ hanc audient secretam Creatoris sui vocem: *duplicate supplicia secundum opera ejus*. Lingua eo gravius torquebitur, quo nequius de fratribus suis est oblucuta: *Interrogabit*. Ignis interrogabit oculos, ac dupliciter obscœnos puniet obtutus: interrogabit cor, quod incomposita fovit desideria, interrogabit ignis; atque omnibus cordis hujus partibus hærebit: *duplicate supplicia secundum opera ejus*. Colliget Deus in igne tormenta omnia, quæ damnatus pati potest; & quo majorem hic percepit lætitiam in suis iniquitatibus, eo gravius torquebitur. Ignis hic spiritum penetrabit, ut singulis momentis damnato illius abditissima scelera objiciat, Ignis hic non lucebit, nisi ut ob damnatorum oculos statuat terribilem scelerum eorumdem imaginem, atque ut simul devorantibus flammis eos puniat. *Idem*.

Apoc. 18.

Creata omnia sese offerunt Deo illius ultionem executura, ignis vero ante cætera.

Mihi videntur, neque sine Scripturarum, Sanctorumque auctoritate loquor, creata omnia sese certatim offerre Deo illius de peccatoribus insignem ultionem expetitura. Terra illos deglutire vellet: mare illos fluctibus suis absorbere, aer suffocare, feræ ipsæ eos discerpere. Hæc omnia audire videor clamantia: *Vis imus?* Sed mihi videtur etiam eodem tempore ignis æmulatione ductus hanc sibi provinciam deposcere, atque votis damnari. Quidquid, inquit ille, extra me est, satis illos punire nequit. Trade eos, Domine, vi meæ; hanc ego mihi ultionis tuæ persequendæ gloriam deposco; jube, me justitiæ tuæ ministrum fieri, atque instrumentum: *Ignis æmulatio*. Ita Deus ejus utitur opera damnatos excruciaturus; & fateor equidem hujus ignis vim, virtutemque incomprehensibilem esse, neque aliquid a nobis dici posse, quod propius naturam ejus attingat, gravissimumque dolorem ostendat, quo animam afficit. Corporeus est, ideoque ex se in substantiam spiritualem agere nequit, Albertus Magnus ait; sed subjectus est Deo, addit ille, ideoque supra naturam suam potest elevari, ut insuetos producat effectus, & consiliis primæ causæ, a qua applicatur, seipsum conformet. *Joly Tomo 2. Propositionum*.

Vis impressionis flammarum in damnatos.

Si qui serras, novaculas, aliaque præparari videt instrumenta, quibus brachium, vel crus sibi abscindendum est, totis artubus contremiscit, & semianimis expallescit; si dum operi manus admovetur eos clamores emittit, quæ rupes ipsas scindere valeant; quid erit heu! cum malorum omnium acerbissimum patietur, cum tota irruet in ipsum ira Dei, cum hæc illum non extremo quidem digito, sed lacertis omnibus, omnibusque viribus attinget? Quid erit, cum ignis devorans omnes animæ suæ facultates permeabit, omnesque corporis partes pervadet, ita ut non venæ, non arteriæ, non musculi, non nervi illius careant incendiis? Quinam dolor! qui clamores! qui ululatus! qui dentium fremitus! &c. *Idem*.

Quam terribilis sit infernus.

O regio crudelis! regio mortis, Sanctus Bernardus exclamat, postquam carcerem hunc in tabula vidit, quam ipsi Spiritus Sanctus descripserat; regio lacrymarum, & miseriæ: *Totus tremo, atque horreo ad memoriam istius regionis. Concussa sunt omnia ossa mea*. Rigent capilli capitis mei; sanguis frigescit, spiritusque meus in sola Inferni cogitatione terrore victus infrendit. Heu! Si sanctus Vir, qui mundum a puero deseruerat, qui tanta integritate vixerat, & qui quotidie miracula operabatur; quid illi faciendum, qui sexcentis sceleribus inquinatus est, quorum nondum egit pœnitentiam, *P. Texier in Quadragesima*.

Licet non aliud in inferno esset supplicium, quam carcer; hæc sola cogitatio a peccato deterrere deberet.

Quamvis non aliud nobis supplicium esset perferendum, nisi carceris æterni, nonne hæc una cogitatio nos a peccatis deterrere deberet, nostramque coercere libertatem, qua Deum lædere audemus, qui in æternum nos in hoc horribili loco tenebit, quin inde pedem possimus unquam efferre? Quis enim adeo recti sensus expers esset, qui frui vellet volluptate choreæ alicujus, vel duarum triumve horarum spatio jucundo interesse spectaculo, si sciret, se illinc discedentem in obscuri carceris caliginem in reliquum vitæ suæ spatium esse detrudendum? Velletne adeo leve solatium libertatis jactura sibi comparare? Heu! quandoquidem tantopere hanc diligitis libertatem, quandoquidem adeo suavis, & jucunda accidit vobis, quomodonam pro fluxa voluptate, pro solatio, in quo vosmet peccandi occasioni objicitis, terribilem hanc captivitatem subire vultis, ac in ea igneis vinculis, & catenis detineri? *Pluet super peccatores laqueos. Idem*.

Psal. 10.

Ignis inferni scelerum qualitatem, & gravitatem distinguet.

In inferno, Sanctus Augustinus ait, ignis sapientia præditus esse videbitur: *Quantum exegerit culpa, tantum sibi de homine quædam flammæ rationalis disciplina vindicabit*, Rationalis hæc flamma cædem a parricidio, adulterium ab incestu, mendacium a detractione distinguet. Sciet, quomodo singuli peccatores torquendi, urendique erunt, ardorem suum juxta divinæ severitatis imperia distribuet; tot operabitur miracula, quot diversas impressiones efficiet. Si peccator, idem Doctor ait, peccando suam ostendit insaniam; ignis hic puniendo suam ostendet sapientiam: *Quantum stulta iniquitas suggessit, tantum sapiens pœna desæviet*. Non miror igitur, si Cassianus illum *ignem inquisitorem meritorum* appellat; quęsitorem ad id constitutum, ut de singulorum criminibus cognoscat, atque in singulos pro cujusque nequitia, & peccati gravitate animadvertat. *Idem*.

Deus in igne inferni, alia quæcumque includit supplicia.

Cum velit Deus in inferno summam justitiæ suæ severitatem ostendere, efficit, ut ignis omnes activitatis suæ vires exerat. Illi aliorum quorumcumque suppliciorum tribuit acerbitatem; desperationem fovet in synderesi; glaciei frigus auget, sordium, cloacarumque fœtorem continet; serpentum aculeos superat, & licet in se una sit tantum essentia, fit omnia, aliorumque omnium cruciatuum munere fungitur. O fatalis unitas! O funesta immensitas! quæ efficies, ut damnatus omnia simul tormenta patiatur! O inferni ignis activitas, quam gravis eris, ferendoque difficilis; quippe alia quæcumque supplicia complecteris, & cæterorum instrumentorum vim continebis!... Hoc Dei proprium est omnia ad unitatem redigere, tamquam ad perfectionem; ideo omnia, quæ concipi queunt, in igne congregat tormenta, ut reprobos torqueat. *Biroat Sermone pro feria sexta post alteram Quadragesimæ Dominicam*.

Discrimen inter hujus, alteriusque vitæ tormenta.

Heu! quam differunt hujus vitæ tormenta ab inferni cruciatibus! In terris neque universalia tormenta sunt, neque totum hominem torquent; anima ejus non patitur, nisi quatenus cum corpore conjuncta est, & membrum alterius pœnam non sentit, nisi ex consensu; sed ignis in inferno efficit, ut omnes animæ facultates, omnesque corporis partes torqueantur. Tormenta, quæ hic patimur, momento dilabuntur: mors, quæ limites vitæ præscribit, illis quoque terminos statuit; sed in inferno nullum invenient finem; mors nullam habebit potestatem, & immortalia eorum corpora fient ignis nutrimenta immortalitatis. In hoc denique mundo aliquod semper solatium reperimus, vel aliquam cruciatuum intermissionem; sed in eo tormentorum loco mala omnia erunt extrema, & fine lenimento. Amici, a quibus aliquam expectare possemus consolationem, nobis fient inimicissimi; si beati fuerint, gaudebunt nos pœnis affici intuentes, sin infelices, uti nos, nostram augebunt infelicitatem. *Idem*:

Inferorum ignis damnatis eorum crimina exhibebit.

Inferorum ignis duplici, eoque funestissimo perfungetur officio; non enim solum erit veluti laqueus, quo damnati eo detineantur in loco; verum etiam tamquam horribile speculum, quod illis ipsorum crimina exhibeat, & magis terribilia repræsentet objecta, quæ illorum supplicium augebunt. Quamvis dicatur infernus esse tenebrarum locus, & ignis ille lucendi vim amissurus, eumque solum comburendi habiturus; dici tamen potest, non defuturum lumen quoddam opacum, & tenebricosum, quod damnatis ea, quæ oderunt, ostendat, & ignis hic, quo circumundique erunt impediti, futurus veluti ardens theatrum, ubi dæmones illis sexcenta terribilia phantasmata exhibebunt; sed funestissima hujus ignis imago erit divinæ justitiæ in æternum irritatæ; & hæc est quorumdam Theologorum sententia maximum hujus ignis supplicium in hoc esse positum, quod erit

signum

signum iræ Dei, quod jugiter, ac inevitabili necessitate illis ostendet, Deum in ipsos semper irritatum, semperque ad eos torquendos paratum. *Idem*.

Descriptio tormenti ignis, quod patiuntur damnati.

Simulac reprobi corpus resurget, anima ejus igne divinæ ultionis incensa ignem inferet omnibus tabescentibus artubus illius, ignem visceribus, pulmonibus, oculis, cæterisque corporis partibus; & flamma hæc omnibus illius membris adhærescens illa igne replebit, ac inflammabit. Deinde peccatores eorumdem scelerum sontes simul vincientur, ac sibimet erunt mutuo veluti carbones, quibus comburentur juxta ea Scripturæ verba: *Alligate ea in fasciculos ad comburendum*. Ignis flatu iræ Dei succensus; ignis crudelis simul, & sapiens, semper id reparans, quod incessanter adurit; nutriens victimam, quam absumit; eique per illa ipsa, quę illius supplicium deberent absolvere, funestam tribuens immortalitatem, & prodigiosum nutrimentum, ut recentibus torquendum pœnis servetur. Eheu! separatio Dei! fatalis in iisdem cruciatibus unio! formidabilis ignium æternitas quantum mihi terroris injicitis! .... O terribilis iræ Divinæ ignis, qui novacularum instar intercidet; qui rotarum instar confringet; qui tamquam eculeus, torquebit, qui tamquam fervens oleum penetrabit! Terribilis ignis secum deferens omnes gravissimorum morborum dolores, omniaque cæterorum suppliciorum tormenta complectens. *Ex variis locis collectum*.

Matth. 13.

Inferni, terrenique ignis differentia.

Si ignis hic illi similis esset, quem videmus, Infernus non esset umbra illius, qui est, & stagnum illud inflammati sulphuris haberi posset pro jucundissimis balneis. Noster ignis sensim languescit, vel saltem brevi partem, cui adhæret, absumit; unde fit, ut quemadmodum nullum est supplicium hoc magis violentum, ita nullum eodem brevius fit, statim omnes exhaurit spiritus, ac vitiat, & corrumpit organum sensus. Ignis inferni, præterquamquod nequit extingui, habet etiam virtutem alendi corpora, prout illa comburit; eisque tantam patiendi vim tribuit, quantam ipse habet torquendi. Idcirco Sanctus Marcus illum sali comparat: *Omnis enim sale salietur*, quia, ut S. Hilarius ait, ignis & carnem adurit, & vetat simul ne comburatur. Noster ignis fulgidus est, ignis inferni niger, tenebrasque auget, non dissipat. Noster ignis unam tantummodo speciem doloris affert; ignis inferni efficit, ut quovis tempore, quæcumque corporis pars omnes patiatur dolores, quibus naturaliter effici potest, aliaque infinite plurima, quę citra miraculum pati non posset. Denique ignis quo utimur, non secus ac reliqua elementa, effectus est divini amoris, & liberalitatis; habet etiam sexcentos usus nobis utiles, atque jucundos: ignis inferni effectus est irritatæ potentiæ, & infiniti odii Creatoris. Iræ, & ultionis est instrumentum; ad id creatus, ut torqueat; huic uni aptus muneri, & perinde ac omnes qualitates, quas illi tradidit Deus ad hunc finem, nimis essent infirmę, sese Deus huic immiscet igni, illum incendit, illum flatu suo inflammat, illum propria admovet manu, ac naturali ejus ardori addit quodcumque ipse virtutis habet, & industriæ, ut illum crudeliorem, & sæviorem efficiat. *P. de la Colombiere, Tomo Tertio, Sermone quinquagesimo quinto*.

Marc. 9.

Reprobus nullum habebit in hoc igne solatium.

Tanto in supplicio non licebit damnato ullum vel percipere, vel sperare solatium. Dives nequam unicam tantummodo aquæ guttam petebat: Heu! quid erat una aquæ gutta, Sanctus Joannes Chrysostomus inquit, infinito flammarum pelago? Nihil sane erat; attamen hoc refrigerium, hoc nihilum illi negatum fuit. Cum extremis doloribus agitamur, ambulamus, nosmet extendimus, ac sexcentis modis circumagimur, & hoc motu natura aliquod solatium experitur; sed medius in igne damnatus, stat rupis instar immobilis. Ideo dicitur in Evangelio pedibus, manibusque vinctis in infernum projici. Quantumcumque conetur, ut situm, locumque mutet, invictum nanciscitur obicem nullo pacto agere potest, neque vitam habet, nisi ut patiatur. In quos horribiles clamores desperatio ejus erumperet, si exiguum hoc cruciatibus suis tribuere posset solatium? Verum nequit; clamoribus hujusmodi obstant sulphurei fluctus, quibus semper repletus est; Inflammata hæc materia illum suffocare cogit blasphemias, quas proferre conatur. *Idem*.

Infernus est malorum omnium congeries.

In Inferno, Auditores, non unum perfertur malum, quod ingentes afferat dolores, non chiragra, non calculus, non lithiasis, non colicus morbus, aut similis dolor aliquis urget, sed omnia simul, ac millies plura, quam istæc omnia? dolores sunt intolerabiles, & universales, alii aliis complicati. Ignis est in omnibus corporis partibus, omnesque corporis partes in igne sunt; sensus omnes, omnesque facultates intus, ac extra affligantur: corpus, anima, omnia torquentur, omnia incomprehensibili modo comburuntur; ac interim nullum subsidium, nullum remedium, spes nulla; horribilis, & assidua nox: stratum prunarum semper ardentium; pro consanguineis, medicis, famulis, qui opem, solatiumque ferant, legiones turpium spectrorum infelicitati damnatorum insultantium, nihilque prætermittentium, quod illorum mala augere, & acerbiora valeat efficere. *Idem*.

Quodnam formidabile supplicium erit in æternum uri.

Quænam erit pœna semper æquali sensu doloris affici, quin ignis unquam vel extinguatur, vel aliquid de ardore remittat? Heu! viginti quatuor Cephalææ horæ, dies unus intensioris laboris adeo longus, ac molestus videtur, quid erit æternum ardere? Aliquid sane grave est totum vitæ spatium in obscuri carceris horrore teneri, ac suæ tantum vacare calamitati; sed præterea in flammis æque ardentibus, ac fœtentibus immersum permanere, quin vel fugere, vel sese movere liceat per sæculorum myriades fine, modoque carentes? Heu! peccatores hæc non cogitatis, cum vosmet affectibus vestris abditis; nemo enim esse potest, qui hæc simul cogitet, & peccet. *Idem*.

Vis ignis in mundo, & dolor, quem ignis afferet in inferno.

Vitæ hujus ignis numquam universaliter agit in totum corpus; alioquin illud momento destrueret, & nullum ferme dolorem afferret; Ut illius dolor acriter sæviat, in paucas partes tantummodo agere debet; quas etiam brevi sensu carentes efficit, illas comburens. At si in omnes simul ageret, quin corpus deleret, hoc proculdubio terribile esset doloris incrementum. Hoc in inferno continget. Damnati igne penetrati erunt omnino, quemadmodum caro salita, sale penetratur. *Omnis enim igne salietur, & omnis victima sale salietur*. At ignis aget in omnes corporis eorum partes; quemadmodum agit in partes omnes ferri candentis. Nulli erunt nervi, aut fibræ, aut tendines, non accensi, & non acerrimum dolorem afferentes: Et quemadmodum harum partium nulla unquam igne absumetur, sed in eadem semper agitatione omnes permanebunt, supplicium semper in eadem violentia persistet. Hæc pœna eo major erit, quia illa proprie est, quam illis divina imponet justitia, & quæ ipsa per se aget, cum cætera supplicia non aliud sint, quam eorum improbitatis effectus, quin in illis aliter agat Deus, quam illos ipsismet derelinquens. *Essais de Morale, volumine 4. Tractatu de Inferno*.

Marc. 9.

Reproborum in Inferno status descriptio.

Fingite vobis in terræ centro immanem, immensumque carcerem, in cujus medio pateat sulphuris ardentis, ignitique stagnum, quod propter profunditatem in Apocalypsi *Puteus abyssi*, modo lacus Dei irritati ultioni destinatus, & modo *Stagnum ardens* vocatur; quod Scriptura *Caminum ignis* appellat. Deinde fingite vobis peccatores præcipites dejici in sulphureum hoc stagnum, ubi alii aliis plus, minusve præ scelerum qualitate immergentur, ibique ardebunt, atque patientur vim omnem hujus ignis flatu iræ divinæ in omnem æternitatem accensi, *Incendia nudum corpus allambent*, Sanctus Cyprianus ait..... Neque solum ignis iste extrinsecis corporis partibus admovebitur; hoc est non solum damnati in hoc ignis stagno immergentur; sed ignis ipse, ac sulphur ardens eorum permeabit corpora, in viscera obrepet, ossa, medullasque pertentabit, itaut omnia ex igne constare videantur; Deo cum igne concurrente, eique comburendi vim tribuente, atque illius virtutem augente pro gravitate scelerum, quę quisque patraverit, præter actionem, qua anima immediate ab igne torquebitur eo modo, quem hodie quidem intelligere non possumus, & qui nihilominus verus, & realis est. Itaque reprobi omnes in hoc ignis stagno dispositi erunt tamquam carbones in camino ardentes, vel tamquam lateres in fornace alii aliis impositi, & coacervati, atque ita in suppliciorum abysso immersi, atque in suis cruciatibus sepulti secundum Evangelii verba: *Sepultus est in inferno*, æternum patientur, atque plorabunt. *Ex P. Delingendes Sermone hujus argumenti*.

Apoc. 9.
Ibid. c. 19.
Matth. 13.
Luc. 16.

Ejusdem argumenti continuatio.

Verum quid facient miseri in hoc deplorabili statu? Salvator hoc duobus explicat verbis: *Ibi erit fletus, & stridor dentium*. In tristi eo loco ploratus erunt sine lacrymis, ne corpus aliquod percipere solatium possit; sed stridor erit dentium, oris, oculorum, vultusque totius contorsio, itaut horribile videatur. Juges erunt gemitus, & ejulatus cum cla-

mo-

moribus, vel saltem conatibus, quos indesinenter exerent clamores, atque ululatus edituri, ut passim accidit illis, qui amarissime plorant, qui tanto premuntur dolore, ut neque loqui, neque sensus suos exprimere valeant, neque eorum opem implorare, qui eos reficere possent, si calamitatis eorum causas cognoscerent. Ita ploratus damnatorum extremam, gravissimamque eorum tristitiam significabunt; & stridor dentium eorum rabiem, atque desperationem testabitur propter doloris vehementiam, quem ignis efficiet; etenim quemadmodum illa duo, quæ reproborum infelicitatem constituent, erunt ex altera parte dolor ob tantum bonum amissum, quantum est Dei ejusdem possessio, ex altera vero tristitia, eo quod culpa sua tantam subierint calamitatem; duo aderunt hujus doloris, atque extremæ afflictionis signa, ploratus videlicet & stridor dentium. *Idem*.

Quid faciendum ad evitandum infernum.

Si omnia miseræ hujus vitę conservationi posthabenda censemus, quid faciendum non est, ut pœnarum evitetur æternitas? Si qui hodie in inferno gemunt, in vitam redire, iterumque corpus suum animare valerent, illi profecto neque difficultatem, neque laborem, tamquam pœnitentię suę impedimentum prætexerent; omnem potius vitam suam in fletu, lacrymisque traducerent, potiusquam æternis sese objicerent lacrymis: enixe preces effunderent, ut peccatorum suorum veniam consequerentur; verbum Dei meditarentur; peccatum execrarentur, virtutique adhærerent; Cur non facimus hodie, quod aliquando fortasse facere quidem optabimus, facere vero non licebit? *Auctor Anonymus*.

Injusta damnatorum in divinam æquitatem querela.

Peccatum meum momenti unius fuit, reprobus inquiet, & pro hoc momento me Deus æternis cruciatibus damnavit. Heus tu! numquid te fallebat, voluptatem illam unico duraturam fuisse momento? Igitur summa in te fuit nequitia, qui nihilum hoc, quod momento duraturum cognoveras, prætulisti legibus omnibus, minis, promissionibus Dei tui, timori Inferni, ac spei beatæ æternitatis. Cæterum licet perniciosissimum tibi momentum illud visum fuerit, in te non fuit efficere, ut lentius esset, atque diuturnius: illud ut in æternum produceretur optasses; & hic peccatoris dolor est, quod nequit criminis suavitatem perennare. Hanc igitur voluntatem, hoc votum pœnarum æternitate Deus punit; Deus enim magis voluntatem, & cor, quam effectum ipsum intuetur. *Sermo manuscriptus*.

Æterna Dei privatio, Psal. 30.

Deus me omnino deseruit, inquiet in Inferno damnatus; ab eo *oblivioni datus sum, tamquam mortuus a corde*. Verum quid me oblivioni datum comminiscor? Fallor. Heu! nimis immo illius adsum recordationi. Sed utrumque affirmare possum; & utrumque meam auget infelicitatem. Infelix, quod oblitus est mei, ideo enim oblitus est, ne quid mihi boni conferret; infelix, quod non oblitus est mei, non enim meminit mei, nisi ut graviores cruciatus infligat. Infelix, quod oblitus est, ideo quippe oblitus est, quia me contemnit; infelix quod meminit mei, non enim meminit, nisi ut me persequatur. *P. Aurelianensis, Sermone de alterius vitæ suppliciis*.

Damnati oderunt Deum.

Quomodo autem amari Deus potest, donec has excitat flammas, hos nutrit rogos, donec igni, quo ardeo, tam sævam impertit vim, donec irę suę flatu jugiter novas ignibus vires addit? Justum quid hoc supplicium est; at hoc efficit ut duplo mihi fiat intolerabilius; quia iniquus cum sim æque ferme illius justitiam odi, ac ejusdem severitatem experior. Ita æque crudelis, & quia justus est, & quia severus; & justitia ejus non alium in me operatur effectum, nisi quod injustas blasphemias nimis æquis quæstubus addo. *Idem*.

Dolor damnati æternum subeuntis supplicium pro fluxis voluptatibus. 1. Reg. 14.

Damnatus dicere potest, quod Princeps ille morti adjudicatus, eo quod imprudens parum mellis gustasset: *Gustans gustavi paululum mellis, & ecce morior*. Eheu! si fluxis, fragilibusque voluptatibus perfruens, morti me tantummodo objecissem; minus profecto de imprudentia dolerem; sed ideo vehementer doleo, & frustra doleo, quia mori non possum, quia pro brevibus, exilibusque voluptatibus memet tradidi iis malis, quæ nullum sunt finem habitura. Etenim o gratiæ, quarum jacturam feci, numquam vos recipiam, infinita, quę me perimitis, mala, numquam vos cessare intuebor: ignes, qui me comburitis, estis æterni; vermes, qui me depascitis, estis immortales; tenebræ, quę me circumundique obvolvitis, in æternum permanebitis: chaos, quod a Deo me sejungis, semper insuperabilis eris. Quid in damnati corde parere possunt hujusmodi cogitationes, nisi pœnitentias inutiles, acerrimos dolores, mœrores gravissimos, amaras redargutiones, horribiles terrores, stimulos aculeatos, teterrimas desperationes. *Idem*.

Damnatorum corpora erunt immortalia, ut æternum patiantur.

Post resurrectionem iterum damnatorum animas eorum corporibus eo glutine conjunget, quod neque a temperamento, neque ab elementaribus qualitatibus pendebit, vel si illinc pendebit, temperamentum hoc immutari non possit. Gluten, quo conjungetur utrumque, nec vi suppliciorum, nec annorum longitudine dissolvetur; ignis ipse, quo comburentur, erit tamquam sal, ut inquit Salvator, atque eorum sensum sævissimis doloribus torquens, vitæ parcet æternum victuræ. Quemadmodum tunc mors erit alterius naturæ, ab ea, quam his temporibus habet; corpora etiam alterius erunt conditionis; mors quin celer sit, immortalis erit; anima enim privata Deo vivere non poterit, cumque sit naturę incorruptibilis, moriens iis liberari non poterit malis, quibus torquebitur. *Sermo manuscriptus*.

Inferni, ac tormentorum ejus descriptio.

Quis præ horrore non fremeret ad solam infelicissimæ illius regionis cogitationem, quæ suppliciis tantummodo est repleta, ubi nonnisi tenebrę conspiciuntur, ubi nonnisi querelæ, gemitusque audiuntur, ubi teterrimi exhalant fœtores, ubi horribilia tormenta feruntur? Totis artubus contremisco, ubi æternos eos recogito carceres, ubi pœnę infinitæ sunt numero, crudeles vehementia, incredibiles varietate, æternæ, atque intolerabiles duratione. Ibi hæc supplicia peccatori admoventur manu Dei, qui & irritatus est, & omnipotens, ut ultionem suam persequatur; qui & contumeliis affectus est, & implacabilis. Ibi aderunt cruciatus, quorum ministri, tortoresque insuperabilem habebunt vim, & rabiem, quæ numquam leniri poterit. Irreconciliabiles erunt inimici, in tormentis, quę excogitabunt, industrii, & in suæ inhumanitatis exercitatione infatigabiles! Qui vero atrocia hæc perferet supplicia, abominabilis erit creatura coram Deo, dæmonum furori tradita, omni ope, & solatio destituta. Mei compos non sum, ubi mihi infirma imaginatione mea loci illius tormentorum horrorem mihi repræsento. *Reina Serm. 14*.

Gravissima inferni tormenta.

O mors vere crudelis, & immitis! quæ singulis momentis occidis, & minime destruis; sed indesinenter, ac sine intervallo ictus tuos iterans animabus illis sævissimos dolores infligis, & sævitiam habes numquam desituram! O mors æterna! Infirmamne te appellabo, an infinite potentem? Utrumque potius, quia & infirmitatem, & potentiam consocias, ut miserorum tormenta perennes. Infirma es, non enim lethale vulnus inferre potes, quod infelicissimam hanc auferas vitam; sed aliunde quam valida es, incessanter percutiens, & numquam removens manum; semperque eodem robore ictum infligens! O mors mirabilis, quę res adeo oppositas conjungis, quales sunt simul & novam esse, & antiquam. *Idem*.

Cogitationes de separatione animæ a Deo, & de pœna damni.

O necessitatem! o tempestatem a Deo dissociari! Inauditum supplicium, quod omnia suppliciorum genera complectitur. O tempestatem, & naufragium momento spes omnes absorbens! *O tempestatem a Deo dissociari*! Ita loquitur Sanctus Cyrillus. Hæc veluti furens procella, quæ ab ipso portu navigium, quod vehemens aquilo magno divellit impetu, fractisque rudentibus aufert, allidit in scopulos, fluctibusque deglutit. *O necessitatem*! crudelem necessitatem supremo privari bono, sine quo nullum possideri potest bonum. Hæc jactura est sine ulla reditus spe, separatio est, quæ iterum sarciri non potest. O crudelem separationem, quę animam divellit a Deo! Hinc oritur mors illa, quę semper renascitur, & vita, quæ moritur indesinenter. O fatale divinæ dexteræ vulnus potestne gravius damnum inferre? *Idem*.

Incomprehensibilis dolor est separari a Deo. Act. 20.

Si summa conficiebantur tristitia Milesii ob S. Pauli discessum, eo quod non sperabant se amplius illum esse visuros: *Dolentes, quoniam faciem ejus non amplius essent visuri*. Quid erit, cum Dei Filius miseros a se repellet, non ultra videndus ab illis? Non caliginosi carceres, non obscura me terrent inferni loca; sed inde rigescunt sanguine venæ, quod non amplius inveniam Deum, finem, centrum, & beatitudinem meam. Ignes flatu indignationis ejus accensi mihi nequaquam terrorem incutiunt; sed inde totis artubus contremisco, quia in flammis illis non aderit Deus. Non mihi metum injiciunt immites carnifices; quamvis sciam, rabiem eorum vi ipsorum parem esse; sed metus, desperatio, infernus meus est; ibi non invenire Deum meum,

co-

eoque in æternum me frui non posse. Hi dæmones, & spiritus nequam terribiles sunt, nec diffiteor; eorum intolerabile est contubernium; sed hæc omnia mihi jucunda acciderent, si tibi Deus esset. Gemitus, qui in hoc loco audiuntur, terribiles sunt; blasphemiæ, quæ ibi evomuntur, execrabiles; sed fac ibi Deum esse, jam isthæc omnia mihi fient Paradisus. *Idem*.

Insania peccatorũ metuentiũ infernum.

At non ultra in hac miseriarum abysso immorabor. Eos tantum interrogo, qui non dubitant pro momentanea voluptate, pro fragili honore, vel sordido quæstu sese terribilibus tormentis objicere. Unquamne mensi estis durationem Dei, qui natura sua est æternus? Numerastisne dies æternitatis. Ad calculos revocastis illud temporis spatium, quod tempora omnia, omnesque mensuras excedit? Unquamne intellexistis, quid hæc sibi velit vocula, æternitas? Eheu! Id si intelligitis, quomodonam ita dementes estis, ut momentum voluptatis integræ intolerabilium suppliciorum æternitati anteferatis? Vel nisi id intelligitis, quomodo audetis vosmet iis objicere pœnis, quas ne intelligere quidem potestis? Si creditis, a Deo unicum scelus pœnarum æternitate puniri, quomodo patratis illud? Sin autem &c. *Idem*.

Reproborum in Inferno infelicitas.

Miseri illi in omnem æternitatem conscientię suę stimulis laniabuntur eam cogitantes beatitudinem, cui abrenunciarunt, divinæque justitiæ supplicio æquissimo coacti animo suum malum, suamque calamitatem perpendere. Ibi gloriæ Deus ad eorum furorem augendum sese ostendet tamquam infinite amabilem; omnes illecebras suas eorum objiciet oculis; ejusque gloria, magnificentia, majestas, clementia, bonitas illos sævius torquebit, quam ultio, & justitia. Hic in terris non experimur vim propensionis animę in Deum; objecta enim, quibus sensus nostri afficiuntur, illam alio vocant; sed hæc anima ubi semel a corpore sejuncta fuerit, totam, quanta est, hanc vim experietur; objecta hæc fallacia, ac imponentia dissipabuntur; errores evanescunt: hæc erga creatas res inclinatio, quę efficit, ut a Deo recedamus, per separationem hanc omnino destruetur; & anima hæc nonnisi erga Deum suum feretur; quia nihil præter ipsum inveniet amabile. Quidquid cogitationum, studiorumque habet in hac propensione colligetur, & vota sua quidquid ipsa est, illam rapient in sinum Dei sui, interim iniquitatum ipsius pondere illam incessanter in infernum trudente: Æternum cogetur in Cœlum contendere; & scelera æternum illam in abyssum proturbabunt; atque se longe infeliciorem existimabit videns glorię sedem, quin de suppliciorum suorum laqueis egredi valeat; quam si graviora pateretur supplicia, quin tamen beatitudinis possessionem, qua excidit, illa cognosceret. Quam acerbum reprobo fatum! Oculis ejus patebit Abrahæ sinus apertus; & hoc maximum erit illi doloris argumentum. *Ex Sermone de Divite nequam, qui Patris Massillon esse perhibetur*.

Reprobus in inferno torquetur memoria bonorum, quæ in hac vita recepit. Luc. 16.

Reprobus torquetur etiam recordatione bonorum, quibus vivens gavisus est: *Fili, recordare, quia recepisti bona in vita tua*, diviti Evangelico dixit Abraham: quibus verbis quam cogitationum tristissimarum turbam calamitoso huic homini non obtrudit? Exempla justorum, quę ille oculis suis fuerat intuitus; consilia, quæ illum de promissa beatitudine admonuerant, hæc omnia illius mentem subeunt. Bona ipsius, etiam temporalia quibus uti potuisset ad immortalem coronam sibi comparandam, impensas in corporis illius delitias, quod pœnitentiæ, & mortificationi destinatum erat. Quam crudelis cogitatio! quinam fons tristitię, atque desperationis? Ita est, Fideles; anima damnata in omnem æternitatem hæc sibi audiet iterari verba: *Fili, recordare, quia recepisti bona in vita tua*: Recordare dies in rerum copia traductos, quibus tibi nihil reliquum erat optandum; honores, qui tibi adhibebantur; eam adulantium catervam, quæ præsto erat, ut sua vota præverteret, ut defectibus tuis thus adoleret, ut abusus tuos probaret, ut sexcentis chimæricis laudationibus tuam vanitatem foveret; talenta ea, quæ tibi populi existimationem, atque admirationem conciliabant: *Recordare, quia recepisti bona in vita tua*. Quo magis præsens animę conditio in terris jucunda est, eo magis futurę calamitatis imago tristis erit. Si oblivisci posset bonorum, quibus aucta fuit, & abusa, illius pœnæ imminuerentur; sed omnia eorum memoriam excitabunt; justitia Dei ultionis impatiens, scelerum multitudo, quę ad cumulum evasit. Ad hæc cum aliquo dolore affligamur, semper ultro urgemus imaginem bonorum, quibus ante acceptum infortunium perfruebamus, atque in nobismetipsis torquendis multa pollemus industria. *Idem*.

Damnatorum æternitate supplicii sui cogitantium desperatio.

Spes suavis, est occupatio miseris dolore confectis, & quantumvis acerba sint mala, quæ patiuntur, eorum tamen pondus eo minus sentiunt; quo minus ab illorum fine se putant abesse. Sed in inferno hæc spes reprobo non restat. Quo magis in infinita progreditur spatia, eo majus iter perficiendum supererit, omnesque ejus spes hæc erit, se numquam ex tot malis evasurum. Vellet quidem abjicere molestam, atque importunam hujus æternitatis ideam; sed divina justitia eam semper oculis ejus objiciens eum coget huic vacare, ac inde gravissimam supplicii sui circumstantiam efficiet. Itaque quodcumque habetur momentum pro anima damnata tota erit pœnarum æternitas; atque unicum hujus æternitatis momentum efficiet, ut simul ea omnia patiatur mala, quę illum nonnisi successive passurum esse promittit æternitas. Horribilia pati tormenta, & eorum numquam videre finem; pati quidquid magis terribile fingi potest, ac videre supplicia sua incessanter renasci, hoc tristissimum est, & calamitosissimum reprobi fatum. *Idem*.

Pro voluptatis momento suppliciorum æternitas ferenda.

Fierine potest, ut qui ad minimum quemlibet dolorem tantopere exardesco, adeo insanus sim, ut igni numquam extinguendo me objiciam? Numquid pro unico voluptatis momento, suppliciorum pati potero æternitatem? Sane opus est, ut fidem simul, & rationem amiserim; etenim si scirem mihi hodie ad horæ quadrantem igni esse comburendum, nulla sane voluptas esset, quam non ultro, ac libenter abdicarem. Attamen, Domine, Divinum verbum tuum, tuæque Scripturę nihil hoc verius, nihil hoc certius esse testantur: aperi oculos nostros, ut horridum carcerem intueamur, ubi justitia tua ignem hunc devorantem succendit; fac ut videam decies centena animarum millia pro eo scelere damnata, quod sum patraturus; quid facerent illę, si reditus illis interclusus non esset? *Pater Cheminais*.

In æternum anima in inferno reputabit media, & occasiones quas habuerunt salutem suam operandi. Jerem. 2.

Cum anima mente repetet inanes voluptates, quibus Deum suum posthabuit, personas, in quarum gratiam Deum ita contempsit; quot in memoriam momenta revocabit, quibus levi negotio certum sibi facere poterat ejus boni, quod amisit, possessionem? Deus illam indesinenter funestę huic cogitationi applicabit; nulla, ut in hac vita, erit intermissio, ubi somnus, mentis evagatio, tempus, amici doloris magnitudinem minuunt: *Scito, & vide quia malum, & amarum est reliquisse te Dominum Deum tuum*. Toties hoc tibi dictum fuerat, & credere noluisti: Vide, senti, funestum hoc periculum fac, & agnosce tandem, quodnam creaturę supplicium sit a fine suo separari. *Idem*.

Quomodo Deus ab anima damnata recedit, eamque persequitur in inferno. Jerem. 24.

Deus semper a peccatoribus recedit, Isaias ait; attamen Deus semper peccatores eosdem persequitur, addit Jeremias. Ab illis semper discedit, & numquam discedit ab illis: numquam cum illis erit, ut vel minimum afferat bonum, semper cum illis erit, ut sexcentis malis eos obruat. *Ponam oculos meos*, inquit ille per Prophetam, *super eos in malum, & non in bonum*. Numquam videbo illos, nisi, ut persequar eos; illi numquam videbunt me, nisi tamquam furentem inimicum. Anima hæc execrabilis semper sejuncta erit a suę felicitatis principio, & semper erit cum principio suę infelicitatis conjuncta; semper Deum suum & quærens, & fugiens; semper dilaniata, ut ita dicam, oppositis motibus; semper (absit verbo invidia) infinitæ pulchritudinis illecebris attracta, semperque paris indignationis rigoribus repulsa. *P. Dozenne, libro cui titulus: Mundus a seipso damnatus*.

Damnatorum dolor eo quem sua culpa interierint.

Si fatalis necessitas reprobos in tantam pertraxisset calamitatem; vel si ultro in eam cecidissent aliqua re illecti, quę in speciem æqua videretur, fortasse hæc cogitantes aliquam solatii umbram, & lenimenti speciem nanciscerentur. Sed sibimetipsis exprobrare debere, quod pro voluptatis momento, quod pro terrę particula, pro honoris phantasmate voluerint jacturam facere infinitę felicitatis, ac sese præcipites in infinitam calamitatem dare, quis furor, quę insania? Adhæc meminisse, præ manibus non defuisse gratias, consilia, exempla, Sacramenta, sacrificium, Crucem, Sanguinemque Jesu Christi, quis dolor? Memet salvare potui, ac volui meipsum damnare, inquient miseri; hic error est, qui nullam patitur excusationem. Cogitatio crudelis, sine saltem, ut liberum paulisper spiritum ducamus. Verum non ita; incessanter, jugiterque cogitatio hæc illos torquebit.

Interest sæpe infernũ cogitare.

Interest spiritu, ac mente, donec vivimus, inferos penetrare, ne te ipsa post mortem illuc ingredia-

dia-

diamur, juxta hæc Regii Prophetæ verba: *Descendant in infernum viventes*. Hæc constans fuit Sanctorum omnium praxis, atque præ cæteris S. Hieronymi, qui profitetur, se inferni actum metu deserta; ac solitudines petiisse, ut ibi inter scorpiones, ac serpentes vitam traduceret: *Ille ego, qui ob gehennæ metum tali me carcere concluseram scorpionum tantum socius, & serpentum*. Infernus est divinæ justitiæ effectus, & locus ubi acerrimas ultiones exercet; verum simul est divinæ Misericordiæ instrumentum; & quod hominem sceleribus puniendis inservit, reis etiam hominibus servandis non minimum confert. Vulgo quodam in sensu dicunt, plures misericordia, quam justitia tusile damnatos; misericordia enim in hominibus peperit in ipsorum sceleribus præsumptionem. Sed simili ratione dicere possumus, plures justitia, quam misericordia servatos fuisse; quippe consideratio justitiæ cogit peccatores, ut per pœnitentiam revertantur ad Deum. *Sermo manuscriptus*.

De pœna damni, & privatione Dei.

Quid est pœna damni in reprobo? Maximus dolor est ex Dei amissione profectus. Hic autem dolor duo complectitur, Dei amissionem, & hujus jacturæ cognitionem. Et quemadmodum jactura hæc, nisi cognosceretur, non magnum dolorem afferret, ita dolorem, atque cruciatum pœnæ damni præsertim constituit intuitus, & cognitio, seu consideratio ejus boni, quod amissum est. Scio equidem in Scripturis passim infernum tenebrarum locum appellari, quia verum lumen longe illinc abest, nec unquam ibi videbitur Deus. Audeo tamen dicere, tot licet in inferis densentur tenebræ, ibi quoque lumen esse, & quemadmodum in cœlo lumen est gloriæ, quod Sanctos in admirabili ea felicitate constituit, ita & in inferno lumen esse damnationis, quod erit velut anima, & forma tormenti damnatorum. *Idem*.

De Inferno separatim.

Ut intelligatis quam gravi dolore torqueatur reprobus in inferno antequam etiam anima illius iterum corpori adhæreat, tria sunt consideranda; Dei omnipotentia ultionem deposcentis; creaturarum, quibus in ultione persequenda, veluti instrumentis utitur Deus, & insensibilitas animæ, quæ est in Dei vindicis manu. Nihil terribilius est quam Deus sine misericordia justitiam exercens, nihil efficacius, quam creatura ad inauditos effectus a Dei justitia, & omnipotentia elevata; ac tandem nihil calamitosius anima, quæ est iræ divinæ objectum, atque omnibus creaturarum viribus patet. Posthæc ne iscitemini utrum in inferno sensibiles adsint dolores, & quomodo spiritualis anima omnes agentis corporei impressiones recipere valeat. *Ex Sermonibus Moralibus, Sermone de inferno*.

De igne material, qui est in inferno.

Deus tres pueros in Babylonica fornace tuetur incolumes, quod sane miraculum est, a misericordia patratum; quamvis fornax illa septuplo magis esset incensa, quam consueverat; quamvis omnia ingesta fuissent nutrimenta, quibus ignis augeri posset, qui ad quadraginta novem cubitorum altitudinem assurgebat. At mirum non est; Deus enim ibi reliquerat ventum roris flantem, quo duplex elementi hujus qualitas sejungebatur. Sed quam terribilia, ævaque hæc sunt miracula, ubi illa operatur justitia! Anima damnata non deberet vim ignis sentire, quia spiritualis est; at illam sentit. Ignis in illam agere non deberet, quia mere corporeus est; agit tamen. Dei ultoris præsentia, & irritati Judicis flatus hos miseros torquet, qui citra miraculum non torquerentur. Flamma in Babylonis fornace Pueros non attigit, licet eadem illos circumundique obvolveret; & inferni flamma agit in animas, licet illi sint extra sphæram activitatis ejusdem. Deus ut ita dicam vindicem spiritum suum in hoc elemento constituit; quidem autem est, quod Deus facere nequeat? *Ibidem*.

De verme conscientiæ in damnatis.

Deus infinitis utetur suppliciis ad hostes suos puniendos; at duo præsertim sunt, ut ita dicam singularia, & exquisita justitiæ ejusdem tormenta: Alterum ignis est; alterum conscientiæ vermis. Ignis quidem extrinsecus, vermis autem intrinsecus discruciabunt; & conformitas, quæ inter utrumque adest, ea est, quod videlicet ignis numquam extinguetur, & vermis numquam morietur. *Ignis eorum non extinguitur, & vermis eorum non morietur*. Vermis hic, proprie loquendo, stimulus est conscientiæ in damnatis, dolor, & rabies, qua torquentur, eo quod in statu adeo deplorabili inveniantur; vermis, qui ex eorum peccatis, & corpis corruptione oritur, vermis, qui ex cauteriata conscientia, quo nomine illam Sanctus Paulus vocat, egreditur. Vitæ hujus tempore anima quodammodo extra se egreditur, Sanctus Bernardus ait, & ideo vermis hic levia tantum infert vulnera, quæ superficiem tantummodo, ut ita dicam, allambunt. Sed post mortem, atque in inferno, omnes aditus, per quos anima sperabat se effugere posse, illi obstruuntur; solatia, voluptates, occupationes, distractiones, requies, & lassitudo corporis, somnusque, nihil illius juvare poterit egressum. Quidquid adnitatur, necessario semper in se clausa permanebit, quin extrinsecus aliquem exitum valeat invenire. *Ibidem*.

Mare. 9.

Quid? inquiet reprobus, ex tot lacrymis, quas effundo, ne una quidem mea poterit scelera abluere? Tot inter amicos, & consanguineos, qui in Beatorum numero recensentur, ne unus quidem ad Judicis pedes provolutus pro me deprecabitur? Intercessores, numquam opem vestram imploravi, cum mihi favere poteratis. Austeritates, ego vos neglexi, cum mihi eratis salutares: inspirationes, vos ego contempsi, cum me officii admonebatis, atque, ut pœnitentiam agerem urgebatis: Sacerdotes, numquam ad vos confugi, cum eratis Jesu Christi Ministri, Sanguinis ejus œconomi, & gratiarum ipsius dispensatores: vobis aures non adhibui æternas veritates mihi nunciantibus, atque veritates illas fabulas duxi; consilia, minasque vestras in ludibrium traduxi, cum efficiebatis, ut ea, quæ patior, mala præsentirem, meque ad ea per pœnitentiam prævertenda hortabimini. Nunc equidem sentio, veritatem per os vestrum fuisse locutam, atque funesta doctus experientia intelligo æternas flammas, quas toties mihi descripsistis, longe ardentiores esse, quam exhibebantur a vobis. Sed nullum superest malo remedium; salutis meæ tempus abiit, & nihil mihi nisi pœnæ meæ restat æternitas. Triste momentum, quo genitus fui! Crudelis voluptas! Crudelis honor! crudelis habendi cupiditas! crudelis ambitio, quæ me perdidisti! nefariæ voluptates, omnes dulcedines vestræ præterierunt; sed ea tormenta, in quæ me præcipitem dedistis, non præteribunt. Infelix libertas! pro voluptatis momento, me suppliciorum æternitate obruisti. *Fromentieres in Quadragesima. Sermone de Inferno*.

Reprobum Deus in æternum derelinquit & simul justitia sua illum persequitur.

Magnum peccatori malum est a Deo in vita hac derelinqui; sed nullus peccator ita derelinquitur, ut non habeat gratias ad resurgendum. In inferno solum peccator omnino destruitur. Erga solum damnatum divina Misericordia omnino exhausta, & exinanita est, ac Deus est inexorabilis: illius non recordatur amplius, nisi ut ipsum tamquam crudelissimum hostem persequatur, quo irreconciliabili odio infectatur. Fateor equidem terribile spectaculum esse videre Deum in terræ centro effodientem abyssos, ibique excitantem ignes, dæmonesque tamquam sub stipendiis habentem, ut ibi in omnem æternitatem miseram torqueat, & comburat creaturam. Sed non miror, cum altera ex parte cogito, vilem creaturam eo insolentiæ evasisse, ut contra Creatorem suum insurgere non dubitaverit, terræ vermem ausum fuisse bellum indicere illius tremendæ Majestati, & peccatorem sexcentis a Deo beneficiis cumulatum, amatum, & conquisitum, ingratum extitisse, atque tot beneficiis minime commotum contempsisse pedibusque conculcasse divini Sanguinis pretium, quod re ipsa magis mirum debet videri. *P. Texier Sermone pro feria sexta post alteram Quadragesimæ Dominicam*.

Exclamationes ad æternitatis conspectu.

Captivi æterni, in horribilibus carceribus detenti, Æterni carnifices, quoniam dæmones sunt, ac spiritus immortales; Æterna supplicia; Ignis, qui non extinguitur, vermis, qui non moritur; æternæ pœnæ dolor, & sensus. Deficiunt cogitationes meæ in terribilis hujus æternitatis diuturnitate. Numquam ex illis fornacibus egredi! æternum comburi! O iræ Dei mei æternitas! Æternitas rabiei, furoris, desperationis! O infelices linguæ, quæ æternum aquæ guttam peteris, vobis in æternum negandam! O tristia corpora æternorum ignium pabulum futura! O infelices animæ, quę in æternum sentire debent divinæ indignationis pondus, & effectum! Infelix æternitas! quisnam est atheus, impius, infidelis, qui te non credit? Vel quis est ille qui te credit, nec metuit? *Ex pluribus locis Auctoris ejusdem*.

Plerique Fidelium vel sensu, vel fide carent in iis, quæ ad pœnam

Etiamne Christiani, Fideles estis, & Ecclesiæ Filii? Si tales estis, creditis ergo pœnarum æternitatem: *Credis hoc?* Idne creditis? Respondete; credisne? Si creditis, Isaiæ interroganti respondete: *Quis poterit ex vobis habitare cum igne devorante, & ardoribus sempiternis?* Tantumne animi viriumque inest

rum pertinent æternitatem. *Isai. 33.*

inest vobis, ut ignis æternitatem ferre possitis? Negatis; quomodo ergo hos æternos ignes creditis, quandoquidem nihil intentatum relinquitis, ut in æternum illi voremini? Sed jure affirmare possum, vos aut hæc minime credere, aut insanos, ac furentes esse interitum vestrum quærentes. Prophetæ omnes, ipse Dei Filius, ejusque Apostoli protestentur, institutum a vobis vivendi genus ad ferrimam hanc adducere æternitatem; attamen vos minime pœnitet, nec vivendi rationem immutatis; hoc igitur apertissimum est indicium, nos neque Prophetis, neque Apostolis, neque Jesu Christi credere Evangelio. Accede huc peccator pertinacissime; libram accipiamus, & in altera quidem lance statuamus ignem hunc, qui non extinguitur, hunc vermem, qui non moritur, dentium stridorem, rabiem, æternamque damnatorum desperationem; in altera vero creaturam illam, quæ jam pridem te perdit, atque prævalens tuum fascinat cor. Aut damnatum esse oportet, aut hanc intercidere consuetudinem. Hanc relinquere detrectas nolis, ergo infernum esse non credis. *Cur credis, quod Deus vixit*, Salvianus interrogat, *& non times, quod Deus minatur? Idem*.

Apostrophe ad damnatos in medio flammarum.

Videre mihi videor inter flammas tot reprobos tamquam pabulum ignis; iisque ea dicere posse, quæ olim Ethnici; cum hoc tamen essentiali discrimine, quod illi hæc dicebant Sanctis martyribus rogo impositis, ego vero damnatos alloquor: *Ambulate accincti flammis vestris, quas accendistis*. Victimæ inexorabilis justitiæ Dei, ambulate cum hisce flammis, quibus estis circumdati, & quas vos accendistis; eas vobiscum quocumque deferte, donec quæratis solatium, quod judex, a quo damnati fuistis, denegat vobis, & quod nihilominus ab alio exspectare, & recipere non potestis: *Ambulate accincti flammis vestris*. Vel potius, permanete inviti alii aliis superadditi, igneis catenis vincti candentibusque vinculis compediti, quæ vos in tristissima detinent captivitate. Et questibus abstinere, malum enim vestrum proficiscitur a vobis: vosipsi accendistis hunc ignem, qui alitur in sinu vestro, & undenam? ex vestris videlicet iniquitatibus, impietatibus, impunitatibus, obscœnitatibus: *Accincti flammis vestris, quas accendistis*. Illum extinguere velletis, sed frustra: Deus ipse, qui illum vobis acerbe adeo applicat vobis, eumdem in æternum applicabit. Quodnam prodigium! Ignis semper comburens, quin absumat unquam subjectum, cui adhæsit, & quin ipse unquam absumatur; itaut post decies centena annorum millia semper idem perseveret subjectum, iisdem semper impressionibus aptum. *P. Giroust Tomo 2. Quadragesimæ Sermone de inferno*.

Æternitatis cogitatio, quam terribilis sit.

Omnibus mundi remotis cogitationibus, temet ipsum coram Deo colligens mature, atque serio hæc duo excute verba; *semper, numquam*. Brevia sunt, sed in brevitate sua adeo terribilia, & efficacia, ut tremorem, terroremque infinitis propemodum injecerint peccatoribus, eosque ad pœnitentiam revocaverint. Numquam extra ignem illum, cujus nulla res moderari, cujus nulla res exæquare potest ferventissimos æstus; numquam extra illum; semper in illo, semper! Nunc in terris unica passionis dies, immo etiam quin aliunde aliquis accedat dolor, unica dies in eodem statu, situ posita, pro me temporis spatium esset prope infinitum, & dolor hic propter ejus diuturnitatem non ferendus mihi videretur; neque requireretur aliquid ultra ad omnem patientiam meam delassandam? Quid igitur erit de æternitate, atque flammarum æternitate? *Idem*.

Pœnarum æternitas.

Maxima quæcumque mala, cum brevia sunt, pro levibus sunt habenda; sed levissima quæque magna fiunt, cum sunt diuturna; sin autem fuerint æterna, fiunt infinita: Quid igitur dicendum de malis universalibus, assiduis, & quodammodo infinitis, si præterea fuerint æterna? Augete, prout vobis libitum fuerit, damnatorum supplicia: proferte longius, quam vestra cogitatio valeat, durationis eorum terminum; si posthæc illis auferatur æternitas, infernus ultra infernus non est. Miseri illi non sunt amplius damnati, quia non sunt amplius desperati; auferte e contra magnam pœnarum partem, quibus damnati torquentur; nisi auferatur æternitas semper subsistit infernus: & licet tanta fiat pœnarum imminutio, semper damnati sunt, semper infinite miseri, quia miseri erunt in æternum. Æternitas omnibus damnatorum pœnis immiscetur, ac tade gravissimum illis accedit incrementum. Si cogitare possent, malum suum æternum minime futurum; vel saltem si hujus æternitatis possent aliquando obliviscі, tunc temporis damnatos esse desinerent. Æternitas damnato est, veluti immensus orbis, sub quo miser gemit. Orbis quidem hunc unico tantum attingit puncto, attamen toto gravitatis suæ pondere illum obruit. Damnati quodlibet momento, Tertullianus ait, totius æternitatis sustinent pondus. Eorum spiritus cum Dei justitia conspirare videtur ad eos torquendos, & illis quolibet momento repræsentans omnia futura mala, hæc quodammodo præsentia reddit, omnemque in unum punctum colligit æternitatem, ut opprimat illos. *P. Neppveu in Considerationibus, Tomo 1.*

De igne Inferni.

Non deerit in inferno ignis, qui reprobos torquebit, & etiamsi non alia nobis superessent argumenta, sola ratio hoc debet evincere. Malorum maxima, quod peccatum est, jure maximum debetur supplicium. Humana mens non agnoscit aliud igne pluriorum. At quomodonam materialis hic majus supplicium. At quomodonam materialis hic ignis spiritualem animam torquere potest? Quomodo hoc fiat non intelligo, at scio, Deum dicere, hoc fieri, & hoc mihi sufficit. *Idem*.

Quantum dolore afferat damnato cogitare, quod ipse salvare se potuit.

Quid aliud in corde damnati, præsertim vero Christiani, parere possunt, nisi desperationem hæ cogitationes: salvare me potui; memetipsum perdidi? Natus in Christiane Religionis sinu, ac in ipsa Fidei luce, in Ecclesia Catholica educatus, nihil eorum desiderare potui, per quæ facillime salutem meam poteram operari. Tutissimos habui duces, qui in viis Domini me dirigerent: divinum verbum, Sacramenta, adorabile Corporis, Sanguisque Dominici Sacrificium, Sacerdotes, Concionatores, Confessarii, omnia mihi eam sternebant viam, quę ducit ad vitam. Sexcentæ secretæ inspirationes, sexcenti eventus a divina Providentia dispositi, sexcenta vanitati hujus mundi, mobilitatis humanarum rerum, fragilitatis voluptatum centies me revocarunt ad Deum. Attamen in interitu meo obstinarunt ad Deum. Attamen in interitu meo obstinarunt ad Deum. Tot licet mihi suppegerent gratiæ, interii. Protus, tot licet mihi suppegerent gratiæ, interii. Protus, propter quid autem has gratias contempsi? Propter momenti unius voluptatem, quę doloribus erat permixta, quam fastidium, & sæpe etiam conscientiæ stimuli exceperunt. Eheu! si ineptis hisce voluptatibus indulgens mortis tantummodo periculum subissem, minus mihi obnoxiam imprudentiam dolendum esset. Sed amarissime, semperque tamen inutiliter doleo, quia mori non possum, quia propter breves has, fragilesque voluptates memet objeci iis malis, quę nullum sunt finem habitura. Etenim gratiæ amissæ vos numquam recipiam, mala infinita, quibus obruor, numquam cessabitis; ignes, quibus uror, estis æterni: vermis, qui me depascis, es immortalis; tenebræ, quę me circumundique involvitis, semper manebitis; chaos, quod a Deo me separas, semper mihi eris insuperabile. Quid aliud, iterum dico, in damnati corde hujusmodi cogitationes parere possunt, nisi pœnitentiam inutilem, teterrimam tristitiam, amaras redargutiones, terrores horribiles, acutissimos stimulos, atras desperationes? *P. Aurelianensis, Sermone de pœnis Peccati in altera vita*.

Damnati jugiter intenti sunt sensui doloris.

Hic doloris effectus est animam exiguis temporis partibus applicare. Jucundis rebus applicatio efficit, ut ne sentientibus quidem tempus elabatur; sed dies immo etiam doloris hora aliquid diuturnum est, & eo diuturnius, quo acrior est dolor. In mediocribus malis dies numerantur, in gravioribus etiam horæ; sed cum damnatorum mala extrema sint, illi ipsa etiam momenta, quodammodo recensebunt, quorum infinitas invenitur in minima illius, quam æternitatem vocamus, particula; si tamen æternitas partes habere potest. Quocumque sese mens illorum vertat, nihil videbunt, quo non afflictentur; omni carebunt solatio; ac nulla spes illi erit, qua suam lenire valeant infelicitatem, *Sermones Christiani, de inferno*.

Reprobi eorumdem scelerum fontes simul ardebunt.

Qui eorumdem scelerum socii extiterunt, tamquam in fasciculos collecti in infernum projicientur, juxta Filii Dei verbum: hoc est, Sanctus Augustinus addit, libidinosi in gremio eorum, qui libidinum suarum socii fuerunt, ardebunt, adulteri cum adulteris, fures cum furibus; quod illos coget immortali sese invicem bello lacessere tamquam clausas tigrides, quæ sese ultro, citroque dilaniant, cum fame urgentur in cavea, ubi interitus illis paratur. Hoc non extremum erit ex terribilibus Divinæ justitiæ consiliis, damnatos per eorumdem scelerum consortes punire, quemadmodum olim rei in amphiteatris Romæ inter se dimicare ju-